x x

XXXIII.

PACTA HAGIOPHILÆ.

totidem Sanctis intentionibus declarata.

AUTHORE
R. P. Paulo de Barry
è Societate
IESU.

ab Anonymo Latinitati donata.

Cum licentia Superiorum.

WRATISLAVIÆ,
exprimebat
GOTTFRIED GRÜNDER

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO
DOMINO DOMINO
GEORGIO SZECHENI

ELECTO EPISCOPO QVINQVE Ecclesiensi, Præposito ad Beatam Mariam Virginem de Vijhelij, & Sanctum Stephanum de Strigonio, Sacræ Cæsareæ, Regiæq; Majestatis Consiliario. Illustrissimi Principis Domini Domini Archiepiscopi Strigoniensis in Spiritualibus Vicario, & causarum Auditori Generali, Mecænati colendissimo.

COlumbam Olivæ bajulam, hoc est Pacis nuntiam cui similem olim Noë Patriarcha ex sua Arcâ emiserat, cùm tot inter cæsa in illo humani sangvinis cataclismo cadavera, non invenisset locum ubi requiesceret pes ejus, magno Europæ malo amissam crederem; nisi eam modò ad tua, Mecænas Illustrissime, Sacra Insignia, tanquam in tutos sinus atque nidum, non sine felicibus Lauri, & Olivæ ramis, hoc est

spe

ſpe Pacis ac Victoriæ convolaviſſe intuerer. Nimirum pridem nobis jure ſuo iratus alioquin pacificus Pater cœleſtis per illos ſeptem Apocalypticos Spiritus, ſuæ Iuſtitiæ Adminiſtros pergit eheu pergit, effundere totidem phiolas ſuæ iracundiæ, in Europam univerſam: bella nempe horrida, prolixa, civilia bella. Quibus ſive per mutua arma pellendis, ſive per amica Pacta componendis, tametſi hactenus cautiſſimi quique Proceres, vigilantibus ſtudijs, ſtrenuiſſime inſu-

insudaverint, Pacis universalis obtinendæ gratiâ: invanum tamen se usque collaboravisse recidentibus semper in nihilum Pactis hodie vident: neque se ubi securè figi posset pes aut spes Pacis, reperire posse ingemiscunt, Ah! Tantæne animis Cælestibus iræ? etiam tantæ. Ego quidem sic existimo. Quàm diu Nos cum hominibus duntaxat, qui sese flagellum DEI esse ultro asserunt de ista Pace paciscimur, neq; potiùs cum ipso, utrorumq; Armorum Principe, irato DEO transi-

transfigimus, frustra profectò sumus, atque nulli NUMEN irascitur, cœlum pro Numine excandescit, Astra pro cœlo bella nobis movent, propter insensatos. Quamobrem Numen ô cives NUMEN priùs supplicibus votis placandum, mulcendus prece PATER; transigendum PACTIS cum Filio DEI, advocandus in Fecialem SPIRITUS Sanctus, appellanda DEI parens Patrona miserorum, Cælites invocandi, tam usque & usque diu, donec fiat PAX in Virtute

DEI, & abundantia in turribus terræ. En filius DEI, qui non venit gladium in suos fideles immitere, sed Pacem & gaudium in spiritu Sancto; tanquam benignus Trapezita, conditiones Pacis, quas ipsi voluerimus admissurus; iam sedet: En etiam XXXIII. PACTA HAGIOPHILÆ, quasi quoddam melius PROIECTUM PACIS! quod ab Authore domestico, qui neque à sua Hagiophila est incognitus, neque de Christiana Republica nihil meritus, nuperrimè

mè medios inter armorum tumultus procusum æquè innocens atque communis Pacis amans sacra, & ter venerabilis Columba SZECHENIANA, felici Patrocinio sub suas alas & auspicia susceptum, Mundo & utrisq; Proceribus, quasi lemniscatum LAURO Ramum OLIVÆ ultro offerens; gratiose Consultaturis suggerit, atque si modò hisce pacisci velimus cum DEI Filio, Laurum mox, puta Victoriam, à placato Numine, sincera Aruspex pollicetur. Libeat, amabo,

ô mor-

ô mortales libeat inire potiùs Pactum cum Numine, ferire si sapitis, fœdus cum Filio DEI, acceptare conditiones à Spiritu sancto; tot hactenus cladibus satis experti quàm nulla prorsus sit salus tam prolixo, ter iam Troiam æquante civili bello: PACEM igitur à TE ô Columba olivifera speramus omnes, omnes.

Tuæ Illustrissimæ ac Reverendissimæ Dominationi.
d. d. d.

T. A. S. J.

CHare Lector, ecce tibi sincerissimas, sanctissimasque inventiones animæ, quæ ceu vera Hagiophila ad sanctitatem adspirat, declaratas per diversa Pacta & conventa, quæ memorata anima cum Domino DEO init; quæque accommodatissimæ sunt, ad sustentandum spiritum, per frequentiorem recursum, pauculis quidem verbis, sed arcano plenis sensu comprehensæ. Tu in diversas occasiones ipse tibi eas aptare poteris, vel per modum meditationis, per mensem integrum, annis singulis, capiendo unã in dies singulos; vel per modum spiritualis occupationis inter audiendum Missam, singulis hebdomadæ diebus assignando singulas. Ere quoque fuerit tum eas usurpare, cùm orationis tempore inutilem te sentis, & ariditas talis incidit, ut

neque

neque agere, quemadmodum velles cum DEO, neque subiectum meditationi materiam prosequi liceat; cùm rationi consentaneum utique magis sit, cogitationes hasce utiles sumere sibi, quàm perdere illud temporis, & mille distractionum incursui, totidemque fastidijs exponi. Quod si etiam iter agenti horam aliquam in bonis considerationibus ponere libeat, & tempore isto hoc mentem ad DEVM sustollere, quo propter occurrentium passim obiectorum multitudinem facilè stulta nostra imaginatio in diversum abripitur, & nimis quàm ægrè collecta perstat, subsidio tibi hic quoque sequentes Intentiones fuerint. Si horum placeat nihil, illud saltem suaserim, ut vel summis anni festivitatibus, vel certis & statis permensem diebus illas renoves, lectitando at-

tentè, idque omnibus vitæ tuæ annis & mensibus perpetuando. Ex his occasionem habebis ut rata habeas denovo tua cum Filio DEI pacta, statuasque sæpius deinceps paucula eiusmodi verba usurpare, quæ arcanis tamen suis minimè carent, & quàm occultissimè DEO amorem nostrum, quámque addiximus illi servitutem testificantur.

Est autē libellus iste particula dè *Anno sancto Hagiophilæ meæ* detracta, quam, si mereri videbitur, gratam habeto. Non cogitabam quidem illam sine suo toto in lucem emittere, verùm magnæ auctoritatis vir, cui & multum defero, & qui meo penitus imperat animo, cùm id me rogaret, neusque eò differrem editionem hanc, dùm *Annus sanctus* lucem aspiceret, coëgit scilicet meā me mutare sententiam, & judicio

 ejus

ejus meũ accommodare: quod quidem feci perlubenter, & quòd ipsi cupiebam obsequi, & quòd omnino sperabam, aliquid ex eo utilitatis consequi posse, si tibi chare Lector, difficile non esset pauculas pagellas has perlegere, & in tuos convertere usus. Bonus animus, qualis tuus est, ex omnibus proficere novit; vel ideo, quòd non ignoret, in domo DEI omnia facere ad augendam rem; cùm vel calix frigidæ, suspiriúmue colligantur, & cœlicam inter monetam reponantur ab Angelis. Nunc inter nos ita conveniat. Si ex pacto tu & legere volueris, & facere, quæ perscripta hic sunt; ego invicem fidem in eo meam obligo, ut supplicem DEO, ut ad maximum profectum tuum vertat, atq; Tu ad tantæ in cœlo gloriæ gradũ pertingas qualem tibi desidero voveoq;.

TABV-

TABULA
TRIGINTA TRIVM
conventionum, quas quis facete potest cum Filio DEI.

SANCTÆ INTENTIONES HAGIOPHILÆ.

Declaratæ trecentis Conventionibus, quas illa facit cum Filio DEI.

SI præstrui ingressus debet declarationi sanctarum Intentionum HAGIOPHILÆ erga dilectissimum sponsum suum IESVM, elegantior fortasse nullus fuerit, quàm laus & commendatio gloriosarum istarum Conventionum, quas ipsa facit cum ipso, sua cum suo. Sunt enim ejusmodi, quæ portam Thesaurorum, divinarumq; benedictionum emoliantur; quæ admirabile, quantum in ipsis est, arcanum continent: quo mereri plurimum,

modicis quidem impenſis, queamus; quæ concludunt eximium intra ſe artificium, rarumq́ue inventum, inſpiratum cœlitus, quo ſupplere infirmitates noſtras univerſas poſſimus. Primùm enim otij tantùm nobis non ſemper ſuppetit, ut longiores liceat diſcurſus facere, in quibus & ſenſus DEO noſtros explicemus, & neceſſitates, quibus premimur, exponamus. Deinde ea eſt impotentia hominis, ut effectui dare, deſiderata noſtra, ut vellemus maximè, non valeamus. Accedit & illud, quod imperijs noſtris Imaginatio vaga ſubiecta minimè ſit: unde illud neceſſariò accidit; ut vinculis nullis attentio, quemadmodũ optaremus, cõſtringi à nobis ſe patiatur.

Dicta verò incommoda univerſa in tantum ſupplent hæ Conventiones, ut & cogitationes, & verba,

aliæq́ue

aliæque res, de quibus convenire cum Domino DEO voluerimus per primariam ejusmodi intentionem, quæ in formulam transactionis, pacti, & contractûs redacta est, animentur, & quasi vivificentur, cumque virtualiter, ut loquuntur, ea permaneat, vigorem ab illa omnem veluti cōmodatò accipiant: & hinc DEO quidem gratissimæ accidant: nobis verò utilissimæ, meritique pro anima cujusque amplissimi. Nec dubitare ullo modo æquum est, quin intentionibus hisce nostris, quibus cum Illo depaciscimur, subscribat bonus DEVS. Cum enim fundos adeò cordium nostrorum intueatur, præsensq; sit omnibus, quæ geruntur à nobis, non potest non gratas habere ejusmodi affectionum nostrarum tam sinceras testificationes. Et quamvis non re-

ſpondeat, ſenſilive modo hæc noſtra approbet; prudenter nihilominus illud nobis perſuaſum habere poſſumus, & in pacta hæc Ipſum conſentire, neque minus fidem, ut ſic loquamur, ſuam nobis, quam Illi nos noſtram, obligare. Illud adeò ante omnia conſiderandum, quòd DEVS ea, quæ piè volumus, effectuum ipſorum loco ſuſcipiat. Nec enim deterioris hodie conditionis nos eſſe vult, quàm Abraham fuit olim, cujus generoſiſſima voluntas de immolando filio, non aliter, quàm ſi in opus ipſum deducta foret, acceptata eſt. Et verò cùm inter homines quoque, quæ bene illis volumus, benefactorum in loco numerentur, num minus aliquid à DEO cum injuria ipſius expectabimus? Iam ſi dubium nulli eſt, hominem coram DEO eorum etiam ſcelerum

reum

reum peragi, centum exempli gratiâ homicidiorum, quæ cogitatione sola suscepit; de bonis operibus, quæ intra desiderium consistunt nec in opus porrò veniunt, dubitabitur num gratissima non sint; num non amplissimam à divina & liberali ejus manu mercedem emereantur?

Ego sic existimo, hoc potens illud motivum esse, quod bonum sanctarum animarum numerum ad id impulit; ut cum Domino DEO certa in pacta convenirent, ad modum illarum maximè Instructionum, quas eis confecerunt R. P. Sanctes Iure lib. 2. de Cognitione & amore Filij DEI; & devotus P. Joannes de IESV-MARIA Carmelita Discalceatus in Tractatu de Arte amandi DEVM, cum alijs quibusdam Auctoribus. Desiderium ergo, quo & ipse flagro, ut animæ sanctitatis aman-

amantes, & profectûs sui studiosæ, præstent hoc idem, me quoque ad id impellit, ut conventiones ejusmodi bono numero hic eis congeram. Penes illas nunc erit, in profectum & usum suum vertere temporibus illis, quæ iam in Epistola ad Lectorem consignavi, vel singulis potius diebus, capiendo nunc istam, nunc alteram, imò plures eodem die, prout majorem, minoremve unionem cum DEO, & perfectionis desiderium in se persenserint. Iam propositam materiam aggredior, initio capto ab Adoratione, quæ familiarissima nobis esse debet. Super est ut Tu quoque præeuntem me sequaris, paciscendo cum Domino DEO proximè atque me facientem videris. Habe ergo ordine hunc in modum.

I.

Adorationis.

O Adorande IESV? Scio equidem non esse decorum satis, si ego cum celsissima Maiestate tua pacisci audeam, qui felicitatem meam omnem ponere deberem in illo honore, quo me afficis, dum audientiam præstas tam celerem verbis meis, ut ipsa, quæ tibi lingva mea recenset, desideria prævenias. Attamen quis modus continendi, quâ ardeo, flammam, quisue tacendi ea, quæ in imo animæ,

tibi

tibi ea diffusè exponere deſiderantis, geruntur? Importuna hujus vitæ negotia, & diverſiſſimæ, quibus vaco, occupationes, inſuper & cogitationes euagationibus iam dudum aſſuetæ, ita memet mihi eripiunt, ut ſimul otium illud prædonum modo auferant, atque attentionem, quam afferre ad te tum deberem, cùm te adeo, tibi appropinquo, unire flagitans cor meum unico omnium amorum meorum objecto, & ſcopo. Opus ergo & omnino neceſſarium eſt, ut ratio aliqua & modus ineatur, quo tollantur hæ indecentiæ. Hic autem

erit,

erit, ut paciſcar cum divina tua Majeſtate ſuper verbis & cogitationibus meis, ſuper ſuſpirijs adeò & nictibus oculorum meorum, ſuper geſtibus & totius corporis compaſſione, ſuper actionibus denique univerſis. Tu illas pro divino beneplacito tuo ſecundùm intentionem meam pro talibus ſuſcipe, quales tibi deinceps deſcribam.

Emorior propè ô amabilis Servator mi, deſiderio adorandi Te, & in recognitione divinæ excellentiæ tuæ abijciendi me, & ſpiritu, & corpore ad ſacratiſſimos pedes Infinitæ majeſta-

tis tuæ, eo fine, ut orbis universus intelligat, esse me figmentum manuum tuarum, Te verò supremum animæ meæ Principem: & hanc me gloriam vitæ hujus maximam putare, quòd sum aliquid Tui, & aliquid ita spectans ad Te, ut pendeam ex Te totus, & Esse meum omni modo Tibi, ceu Toti suo necesse habeat adhærere.

Dicitur mihi de Angelicis mẽtibus, quòd adoratione nunquã interruptâ in Cœlo adorent Te, ita ut cessaturæ sint nunquam, cum omnibus Beatis, omnem tibi ibidem venerationem, cum submissione infima, deferre.

Et hunc ego in modum ut cuperem adorasse Te? & nunc cupio posthac adorare, absque eo, ut interrumpam ullo tempore Angelorum instar.

Cantatur mihi & recantatur, quemadmodũ grandis ille sanctus Simeon Stylites ipsos octoginta annos columnæ institerit, nec alia ejus fuerit tum occupatio, quàm vacare adorationibus, per inclinationes continuas corporis, ita profundas, ut viderentur à capite ad pedes usque pertingere. Et fuit non nemo curiosior ceteris, qui ex destinato vice quadam inclinationes hasce cœpit numerare.

Iamque ad duo millia ducentas viginti quatuor numerando pervenerat, cùm ſubeunte tædio deſtitit, & qui reliquus erat numerus, Bonis Angelis ineunnum reliquit. Si arbitratu meo res ageretur, voverem ego non octoginta annos, verùm octoginta ſeculorum milliones; & integram inſuper, ſi conſequeretur, æternitatem; ut toto hoc tempore teſtificari poſſem verendæ & formidabili tuæ magnitudini per conſimiles adorationes, & inclinationes corporis, quòd nihil omnium ſic adorari dignum ſit, uti eſt diviniſſimus Servator animarum noſtrarum. Cogi-

Cogito illos honores apud animum meum, quos detulerunt Tibi homines ab ipſo orbis primordio, adventum Meſſiæ præſtolati; præcipuè autem illos, quibus à ſancta nativitate tua in Bethlehem, & ab eo tempore es affectus, quo in Aris omnium per Chriſtianum orbem Eccleſiarum immolaris. Et hoc quàm liquidæ plenum eſt voluptatis, ſi videam per omnes latè regiones creaturas tuas, ſubmiſſas in genua Te adorare, diu noctùque, & horis omnino ſingulis; præcipuè verò cùm divina peraguntur officia, Tuque diebus ſummarum

festivitatum prostas adorandus? Tot ego inclinationes illarum, tot genuflexiones, aliòsque venerantium gestus sine stupore haud sanè intueor, quæ eó spectant omnia, ut cultus Tibi debitus cum infima quæ nobis convenit, demissione adhibeatur. Et desiderium me subit tale, uti mihi in hisce corporibus omnibus replicato esse liceret, quò Te centum millenis adorationum millionibus totidémque vicibus possem adorare. Illud quoque voveam, ut producere vitam ad mundi usq; interitum permissum esset, nec aliud in momenta singula vitæ
meæ

meæ negotium foret, nisi per modum homagij & subiectionis clientelaris tot omnis generis adorationes facere, quot radios spargit mundi oculus Sol. orbi huic universo lucem impartiens.

Verùm cùm hæc desideria sint sine effectu, vide, ô amabilis Servator mi, an hoc quod tantopere desiderat cor meum, dignum non sit, quod divina majestas tua gratum habere dignetur, & in pactum acceptare.

Si quando ergo, sive corde solùm sive etiam vivâ voce dixero: *IESV mi! Ego te adoro.* Vel. *DEVS meus! adoro Te*; aut alia

verba hujusmodi, mens mea hæc est; nimirum adorare Te omnibus tum Angelorum, tum sanctorum adorationibus; quibus & modò adoraverunt Te, & porro æternùm pergent adorare; Mens est adorare Te, quomodo id S. Simeon Stylites olim fecit, & etiamnum omnes sancti Ecclesiæ militantis, & adorandis aris tuis peculiariter devoti faciunt: Mens est adorare Te omnibus, quæ fieri possunt labente tota æternitate adorationibus. Hæc adeò mens, hoc pactum meum est quod cũ divina majestate tua, en ineo; quod esse volo irrevocabile,

quod-

que ſervare inviolatè animus eſt, ad ultimum uſque halitum vitæ, æternùm deinceps in cœleſti gloria continuaturus.

II.
Admirationis.

O Admirabilis IESV! quàm mirificus es Tu in bonitate tua, in amore, in magnitudine pulchritudini juncta, in patientia, in perfectione, in nominis tui patentiſſima celebritate, in ſanctitate, in omnibus, Atque adeo impenſe admiror id omne, quod reperitur in Te, & in quendam rapior ſtuporem ex omnibus divinis actioni-

ctionibus tuis, quas & Angeli admirantur, omnesque Boni & sublimes spiritus extra se velut, abeunt in omnium illorum quæ in Te sunt, altissima contemplatione.

Ego verò cùm admirer hæc eadem universa, siquidem nihil non admirabile est in Te, attamen, quod impræsentiarum præ stupore me velut excordem facit, & nimis qnàm admirabilem Te reddit oculis meis, præquam alia omnia, est teneritudo cordis tui, & favores incredibiles, quibus Tu, dicere liceat, ablandiris bonis mentibus, si quas invenis secundùm

cor tuum, digna complacentiarum tuarum objecta. Quis non admiretur Te in Sancta & Seraphica Catharina Senensi, cui cùm cor exemisses, invicem donasti tuum; quam Tute docuisti legere; cum qua Officium unà recitasti; quam filiam appellasti tuam, & alia horum similia sexcenta? Quem in stuporem non det altera illa, tantopere dilecta tibi, Catharina Raconisia, cui quatuor vicibus, totidem formis diversis, columbæ scilicet, radij, nubis & ignitæ Lingvæ Sanctum misisti Spiritum? cui quinquies è pectore rapuisti cor, ut purgatius, san-

ſanctius, pleniùſque illi redderes: quam ſic honoraſti, ut ſtigmata ſacra pedibus, lateri manibuſque impreſſeris; ſpineâ inſuper coronâ capiti, Cruce humeris impoſita: cui in Tutelarem Angelũ è Seraphinorum ordine unum raro munere, attribuiſti; ad quam ablegaſti Sanctos Cœlites, qui ad illam perpetim viſerent, redderentq; rationem, & de ſanctitate ſua, & de gradibus gloriæ, quam obtinebat: cui rurſus Sanctos ſubmiſiſti Angelos, qui cingulũ illi caſtitatis adſtringerent, & ad loca ſancta Palæſtinæ, purgantiumque flammarum; ad Infero-

ferorum portam, & vestibulum paradisi, ad quæcunque demum vellet loca alia deportarent?

Sed quid ego solis istis sanctorum favorum, quos exhibuisti excessibus intimarumq; familiaritatũ admirabilitatibus immoror, ut admirabilem Te esse ostendam?

O admirabilis Servator! Omne, quod est in Te, stupore & admirabilitate plenissimum est. Omne hoc & nunc admiror, & in beato illo felicis æternitatis otio æternùm admirabor. Interea, dum mihi differtur jugis illa faustitas, en meas hîc intentiones: Quoties vel corde di-

xero, vel ore : *Servator mi ; ego Te admiror* : vel, *DEVS meus, admiror*, horumue ſimilia, paucula hæc verba hunc ſenſum habent, ut mergi cupiam in Angelorum hominumq; admirationibus, ſuper univerſis admirabilitatibus Bonitatis tuæ, amoris, omnipotentiæ, longanimitatis, miſericordiæ, juſtitiæ, omniumque aliarum perfectionum : quas admirationes ſive præſentes illæ ſint ſive futuræ, ſi ego in cumulum unum collectas habere poſſem, quod ſummâ voluntate meâ fieret, tum demum agnoſcendo nihilum meum, confuſiſſimus ob nullipoten-

tias,

tias, & deficientias meas tot ac tantas, profiterer, non eſſe uſpiã in admirabilitatibus his tam admirabilem Majeſtatem aliam, atque eſt tua.

Omni igitur abjectâ morâ jã nunc incipio dicere, & repetere: *IESV mi! Ego Te admiror! ô mi DEVS! admiror!* quæ cum ita dixero, tu noſti, quis dicentis ſit ſenſus.

III.

Æſtimationis.

O Inæſtimabilis Servator mi! Garriant alij, quantum lubet de divitijs, quòd æſtimabiles ſint; quòd in ædibus Princi-

pum virorum nescio quæ raritates, grandis quidem pretij, reperiantur; quòdque hæc rerum Vniversitas creaturis bellissimis, & dignis consideratione referta sit: re autem verâ, si quis penset ex merito, fabulæ sunt & somnia Ego certè facio nihili, nec rem ullam jam æstimo, nisi magnitudinem, & amabiles mores tuos, insuper & illa, quæ serviunt tuo amori.

Ego cum S. Catharina Senensi sic existimo; in comparatione minimæ etiam pulchritudinis gloriosi corporis tui, & adamantes, & pyropos, aliaque pretiosissima, fulgentissimaque mundi

di hujus, nec bella jam eſſe, nec pretioſa, ſed indigna, quæ in horum numero computentur.

Exiſtimo quoque minimam illarum conſolationum, quam Tu ſervorum tuorum ultimo impartiri ſoles (quæ ſunt prægustus quidam feliciſſimæ illius æternitatis, & ſvavitatum illarum, quibus inundatur anima tua, minutæ quædam exundationes) ſine comparatione dulciorem eſſe, & millies, iterumque millies, ac millies perfruenti acceptiorem, quàm ſint univerſæ deliciæ hujus vitæ.

Iam omne id, quod ad te quocunque modo pertinet, quòdve

ad gloriam tuam facit, & insignitum est charactere amoris tui, duco tanti, ut dicere audeam, pompas, magnificosque omnes apparatus, quibus superbè prodeunt terræ filij, luxus præterea omnes, & sumptuosissimas impensas in vestibus, in convivijs quæque hujus generis alia sunt, cum omni sua, quam oculis nostris ingerunt, claritate tanti non esse, atque est calix frigidæ unus, qui amore tui misero porrigitur.

Hic omnino sensus animi; hæc affectio cordis mei est, cupientis tanti æstimare Te, quanti Te Sancti Angeli & Cœlites,

ac DEVS ipſe æſtimat; & dicere Tibi, iſtudque de me affirmare, in ſingula momenta vitæ meæ, quòd nihil omnium æquè æſtimem, ac divinam tuam Majeſtatem, omni æſtimatione majorem, & pleniſſimum amoris ſervitium, quod Angeli tibi cum hominibus præſtant. Quod autem cùm reipſa exequi datum non ſit, vide tamen paratiſſimum me, ut, quoquo poſſum modo, ſuppleam & reſarciam has impotentias meas, ad modum maximè ſequentem.

Quoties ergo ſuſtulero ad te animum meum, & ſive corde, ſive ore dixero: *Æſtimo Te, ô IE-*

SV, aut ſimili alio modo; deſiderium ac ſenſus meus hic eſt, quòd æſtimem Te ſuper omnia pretioſa mundi, tanti quidem, quanti univerſæ ſimul creaturæ Te æſtimant modò, æſtimavêre antehac, & poſthac nunquam non æſtimabunt; & modis illis omnibus, quos ſupra fuſiùs deduxi, & quibuſcumque tandem potes, ac mereris æſtimari, quia dignus es, ut ſis & habearis in pretio infinito.

IV.

Gaudij.

O IESV, nimis quàm admirabile

bile æternorum gaudiorũ objectum & complementum, en ſecretos animi mei ſenſus. Si quando vel ore dixero, vel corde: *Gaudeo, ô mi JESV*, vel: *DEVS meus, quantis incedo lætitijs*, ſimiliáve alia; indicare volo gaudia occulta, quæ concipio, de eo primùm, quòd Tu Sanctis & Electis omnibus in æternis amoribus es, & porrò etiam perfectiſſimo modo eris; de illo autem præcipuè, quòd Tute Temet Infinito amore proſequeris quòdque amor ille, qui à Te tendit ad Te, ſine nullo concludendus ſit.

Indicare præterea volo incredi-

credibilem quandam, quam percipio, voluptatem, ſi refero oculos ad honores illos, quos Tibi latè fuſi per omnes orbis plagas populi deferunt, ad quoſcunque illata eſt Lex tua; dùmque reputo mecum fideles amatores tuos per omnem, quà habitabilis eſt, terram diſcurrere, ut adducant eam ad notitiā Nominis Tui; dum denique lego in hiſtorijs ſacris, tam memorabilia, tamque plena conſtantiæ incredibilis glorioſorum Martyrum acta, qui liberali ſangvinis profuſione exceſſum amoris erga Te magiſtrum ſuum Tibi approbarunt. Indi-

co ulterius, nonminùs, atque Angelum Aliquem, gaudere me de universis, & amabilibus perfectionibus tuis, de grandi numero, qui Te calidissimè ament, servorum tuorum; de innumerabili quoque illorum multitudine, qui cultui Matris Tuæ penitus addicti sunt; de veneratione, quæ in servos tuos confertur; de morte justorum, qui ad cœlum perveniunt, aucturi numerum tuorum, & satiandi divinissima facie tua; de triumpho virtutis, quã Tu amas tantopere; de mundi denique fine, qui propè abest; quoniam hoc tempus illud est,

quo

quo tu Imperij tui Generalia quasi ages Comitia, indeque in gaudia induces servos & amatores tuos, gaudia, inquam, fine nullo, aut ævo concludenda.

Optem ijsdem verbis, in meo unius corde repositas habere possem præsentes, præteritas, & futuras omnes Angelorum, hominum, quin ipsas adeò DEI lætitias & jucunditates, ut ijs sine cessatione oblectarem me, non hoc solùm, quod currit, tempore, sed seculis dehinc infinitis: ita vehementer gaudeo de motivis, occasionibus, & objectis omnium jucunditatum, quas tam DEVS, quàm præcla-

ræ ejus creaturæ percipiunt, gratum habendo, quod es hoc quod es.

V.

Laudationis.

O Laudabilis IESV ! quàm beati, qui habitant in domo tua, quoniam in ſecula ſeculorum neceſſario laudant te. Quin & ipſe unus ex illis eſſe, & nova ratione te laudare incipio; eo tamen diſcrimine quòd, quæ illi perpetim, per intervalla ego præſtem, ſequentem in modum.

Dicet ſæpe ſive cor, ſive os meum : *Laudo te, Servator mi !* vel *Laus* DEO, aliáue his ſimi-

lia. Hiſce autem dictis volo ex hoc tempore à me oblatas Tibi laudationes univerſas, quas unquam tribuerunt, tribuunt, aut tribuent porrò omnes creaturæ tuæ, quæ ſunt, fuerunt, erunt. Et quamvis vires iſtud meas, non tamen perinde ardorem ſuperat deſiderij, neque decretum cordis mei.

Præter jam dicta, volo etiam his verbis, & cupio tribuere ac procurare Tibi omnes laudes, quas poſſunt & poſſent conferre illæ creaturæ, quæ id tamen facere neglexerunt adhuc, negligunt etiamnum, & poſthac quoque ah! negligent, ob ingrati-

gratitudinem & socordiam suã.

Volo præterea oblata Tibi præconia omnia, quæ à Sacra scriptura, à tot præclaris libris, ab omnibus quoque rararum perfectionum tuarum panegyristis ad finem usque mundi percepisti, percipis, aut percepturus es; sigillatim autem illa, quæ boni Tibi Angeli, Sanctique ac Sanctæ omnes concinuêre, concinunt, concinéntq; illis simul adnumeratis, quæ à Matre tua Sanctissima familiarissimè audis & deinceps in beata illa æternitate audies.

Volo ad extremum, & cupio Tibi omnes illas laudes, qui-

bus Te afficere possent innumerabiles Angeli, hominesque; qui orbes infinitos replerent, si creare illos & in esse extrahere tua omnipotentia vellet.

VI.

Glorificationis.

O Gloriose Servator mi, dignissime omnibus, quas possumus cogitare glorificationibus. Gloria res est sublimioris ordinis quàm sit laus; quam & propriâ suâ ratione, & celebritate, ac amplitudine superat. Cùm igitur satis mihi non sit simplici quodam modo laudare Te, altius me levabo in divi-

divinis laudibus tuis, & deinceps, quantumq; mereris Tu, quàm sæpissimè, diutissimeque jam glorificare te conabor, si non plenâ voce, & longo verborum circuitu, secretis saltem affectibus juxta meas intentiones.

Quandocunque igitur, ô gloriose Servator! sive ore dixero sive corde: *DEUS meus! glorifico te*, vel: *Glorificeris, mi JESU*: vel etiam: *Servatori gloria*, aut consimilia verba: intentio mea est, facere omnes actiones ad gloriam tuam, non aliter ac primi Christiani dicendo: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*, si-

mulque efformando ad omnem prope actionem signum S. Crucis, cupiebant hac ratione ut omnia redundarent ad gloriam SS. Trinitatis, & Servatoris sui Crucifixi; vel more S. Ignatij, gloriosi Fundatoris Societatis Iesv; qui familiaris loco gnomæ usurpabat, & veluti scopum suis operibus omnibus præfigebat pulchrum illud verbum: *Ad maiorem DEI gloriam*: Vel ad modum insignis illius Sanctæ Teresiæ, quæ per votum expressum se Deo obstrinxerat, facturam se quacunque occasione, quod vel ipsa perspiceret, vel à perspicacioribus alijs sibi

ſibi oſtenderetur, fore DEO acceptius & ad gloriam ampliorem divinæ ipſius Majeſtatis.

Senſus meus eſt, quòd optarem habere, millies mille vitas, quas omnes in amplificationem gloriæ tuæ impenderem; & ut res mundi in voces verterentur universæ, inque linguas, quæ te poſſent glorificare: Nec aliter in numero viventium eſſe volo: niſi ut inde latius fundatur claritas gloriæ tuæ.

Senſus meus eſt, quòd cuperem exercere omnes meas actiones eo ſtudio gloriæ tuæ, quo in te feruntur modò, ferenturq; in æternum Beati in cœlo, fide-

les in terra, & Purgatorio. Quòd si hoc satis tibi non est, optarem eas facere eodem instituto, quo Tu facis tuas. Nam cùm illæ prorsus divinæ, infinitæq; sint perfectionis, meæ, si ad earum similitudinem, quemadmodum in votis habeo, accedant, non poterunt aliò, quàm ad amplificationem gloriæ pertinere.

Volo ijsdem verbis, quandoquidem ob actiones meas imperfectionibus plenas indignú me duco, qui aliquid in commune conferam ad gloriam tuam, humillimè Tibi supplicare, ut Tute Te glorificare in me

me velis, omni modo, qui facere poterit ad gloriam tuam; sive præteritam mihi vitam indulgere volueris, sive ob crimina mea me plectere; sive novas elargiri libeat gratias, sive veteres à me auferre: omnia hæc ex divino placito tuo eveniant; dummodo ego divinæ gloriæ tuæ materia & subjectum esse queam, & in bona tua gratia permanere.

Præterea cùm indignus sim, & in hoc usque punctum temporis eo nomine infelix, quòd neque ad modum beatorum Angelorum, neque aliorum insignium tuorum servorum glo-

rificare Te possum, illud ut minimum, dum verba supra posita pronuntio, habeo in votis, nimirum glorificare Te, cum omnibus, quamvis despicabilibus terræ vermiculis, & vilissimis alijs creaturis, quæ & ipsæ suo, quo possunt, modo Te glorificant.

VII.

Benedictionis.

B. Benevenuta de Boyani, ex familia S. Dominici Religiosa, cùm die quadam in templo moraretur, contigit ei videre emendatissimæ formæ puerum, tàmque admirabilis deco-

decoris, ut cohibere se jam non posset, quin signo aliquo ad se accerseret. Nec mora; cursu tendit ad illam parvulus, cujus extraordinariam planè pulchritudinem, cùm ex propinquo magis etiam demirata esset, varijs ultro citroque sermonibus habitis, illud inter alia rogavit, an matrem quoque superstitem haberet? Cum habere se respondisset parvulus, ipse quoque institit quærere de matre ejus, an superviveret? Cùm negasset B. Benevenuta, & non ita dudum fatis concessisse adderet, interrogavit deinceps ex puero, an *Ave MARIA* memoriter

ter teneret? Et tu, reposuit ille, tenes probè? Affirmat ipsa, simul expertura, an ita se res haberet, jubet edicere. Deinceps in pueri quoque tam amabilis gratiam Beata, suum *Ave MARIA* auspicatur: vixque illa verba absolverat: *Benedictus fructus ventris tui*: cùm interrumpit parvulus, & *ego* inquit, *benedictus ille fructus sum*; simul abit ex oculis, sanctamque filiam plenam consolationis relinquit.

O Benedicte IESV, unicequè digne omnibus omnium creaturarum benedictionibus! quia vis, & amas benedici, ecce tibi benedictiones meas! ausculta

illas,

illas, & benignum ijs aſſenſum indulge. Cupio enim tantas tibi reddere, & quantas mereris Tu, & quantas Angeli hominesque omnes junctim tibi poſſent deſiderare.

Si quando ergo, ô dilecte mi, dixero ſive corde, ſive ore: *O Servator mi! ſis benedictus.* Aut; *IESV benedico Tibi,* ſimilive modo; cupiam ex animo, dicere poſſem momentis ſingulis, vel cum Angelis beatis in Apocalypſi: *Benedictio* DEO *noſtro, in ſecula ſeculorum, Amen.* Vel cum B. Franciſco de Sales, & quas habuit Idem ſpirituales filias de Viſitatione S. MARIÆ; *Benedictus* DEVS

quæ verba ſemper illis in o-re ſunt, in calamo quoque, cum præſertim epiſtolas ſcri-bunt. Vel cum omnibus S. Ma-tris tuæ cultoribus: *Benedictus fructus ventris tui IESVS*:

Indicare ijſdem volo, deſide-rare me in actionibus ſingulis, quas perficiam; in dictis, quæ eloquar; in cogitationibus, quas unquam habebo, in ocu-lorum adeò nictibus, quos vi-brabo, alijſque omnibus, quæ agentur à me, ut ego, & quot-quot præterea in orbe vivunt, tantis Te benedictionibus pro-ſequeremur, quantis Te un-quam affecerunt, & afficient

perpe-

perpetim homines, Angelique; & quantis ſtante totâ æternitate poſsent afficere omnes creaturæ Rationales, quas Tu condere poſses, & in mundis infinitis collocare.

Indicare præterea volo, cupere me, benedicere poſse ſicut æternus Tibi Pater, ſicut Mater tua ſanctiſſima, & Nutritius tuus Pater Ioſephus benedixerunt; ut ita vitam meam redderem velut benedictam per continuas hujuſmodi benedictiones, & illas quidem non communes, ſed ſanctitatis & amoris pleniſſimas. Et hoc quidem modo velim benedicere Tibi, ô

inter filios hominum ante o-mnes benedicte IESV!

VIII.

Fidei.

O IESV! inter omnia objecta fidei nostræ objectum longè dulcissimum. Quando saluto, & adoro Te in sanctissimo altaris Sacramento, sæpe hisce verbis utor: *Credo*: hic actus fidei aliò non tendit nisi ad realem præsentiam pretiosi corporis, & sanguinis tui; quæ ego profiteor sub adorandis illis speciebus latere.

Volo autem deinceps, si acceptum tibi est, ut iste actus fi-

dei

dei latiùs se extendat, ad ea scilicet omnia, quæ credenda mihi sunt de divina Majestate Tua, sive illum proximè ad aras tuas, sive alibi exerceam.

Si quando igitur dixero sive corde, sive vivâ voce, DEVS *meus! Credo*, Vel *IESV Servator mi Credo*; similive modo alio, indicare volo, credere me plenâ atque integrâ fide, esse Te Filium DEI Patris in æternitate, Virginis autem Filium in tempore, Redemptorem generis humani, mortuorum ac vivorum Iudidicem, & meæ sigillatim animæ Salvatorem; & credere ita, ut in hac fidei professione vellem,

 si fie-

si fieri posset, comprehensum integrum actuum fidei millionem; sed selectissimorum duntaxat, quales magni Sancti, & ipsamet dilectissima Mater tua unquam elicuerunt. Quid dico autem millionem? immo omnes, quotquot servi tui unquam elicuerunt actus fidei, solus ego elicere cuperem

Significare volo, credere me cum firmitate fidei, sine ulla omnino exceptione omnia admiranda vitæ ac mortis tuæ mysteria, nominatim verò illa, quæ Symbolum Apostolorum, & divinorum quatuor Evangelistarum monumenta complectuntur.

Significare volo præterea, credere me exactiſſimè omne id, quod divinæ placuit Majeſtati tuæ revelare Eccleſiæ, ſive de ineffabili Trinitate divinarum perſonarum in eſſentiæ unitate, ſive de morte, aut Iudicio, de Purgatorio, Inferno, vel Paradiſo, de Providentia tua, ijs denique omnibus, quæ vel in novo vel veteri Teſtamento, vel à puræ veritatis magiſtris prodita unquam nobis fuerunt.

Significo, credere me omnia illa, quæ ad ſalutẽ animæ meæ creditu neceſsaria ſunt, ſive de divina perſona tua, ſive quæcunque credi alia vis. Et hæc

omnia tantâ credo cum credulitate, ac ſi modo ſenſibili ante oculos meos verſarentur; tantaq́ue conſtantia, ut paratiſſimus ſim, mille etiam vitas pro defenſione infallibilium iſtarum veritatum prodigere. Nec enim aliquis eſt è Martyribus tuis, qui vitam tui cauſsâ amiſit, paſſúſue eſt pro veræ fidei confeſſione, quem in eadem cauſsa imitari non cuperem; immo verò omnes quotquot illuſtres ſunt ob effuſionem ſanguinis ſui in teſtificationem fidei illius, quam & ego debeo Tibi, ac profiteor.

IX.
Spei.

O IESV! unica ſpes rerum mearum! Dulciorem ego quidem, & ſapidiorem cogitationem non poſsum ullam voluere ſub corde meo quàm de fiducia illa, quam in bonitate tua collocatam habeo; & ſi illa mihi familiaris allocutio occurrat, quâ tu olim S. Catharinam Senenſem dignatus es, tum enimuerò æſtus me quidam amoris abripit, quo ardeo in Bonitatem tuam, neque admittere aliam cogitationem volo niſi de te; quemadmodum in alium quo-

quoque ſperare nolo, præter-quam in Te. Iſtud autem utiliſſimi loco moniti eidem dixiſti, *Filia mea, cogita de me, & de te ego cogitabo* ; quaſi dicas : Filia mea, prima & præcipua cura tua hæc erit, ut de vijs ac modis *cogites*, quibus placere mihi, quibus tuam in me fiduciam erigere, meas voluntates, divinaſque inſpirationes exequi poſſis. Quod ſi feceris, ſcito *Me quoque*, efficaciter *cogitaturum* de te, neque in neceſſitatibus tuis deſtituendo ; neque in rebus adverſis abſque præſidio relinquendo, defendendo in tentationibus ; neceſſarias quoque gra-

gratias tribuendo, quarum auxilio vota ac deſideria tua explere queas, quæ in ſpe, de admirabili paternaque providentia mea, quâ fideles mei amatores proſequor, concepiſti. Poſthæc ergo, quid agam, quod deſiderijs meis accommodatus ſit, quàm ut magis, quàm unquam adhuc, ſperem in Te, tantâ quidem ſpe, ego ſolus, quantâ univerſi homines ſimul, ſi fieri omnino id poſſet.

Si quando igitur dixero, ſive corde, ſive ore: DEVS *meus* ! *ſpero.* Vel : *Tu es ſpes mea,* IESV. aliáve horum ſimilia ; ſignificare ijs volo, miſſas me facere omnes

mnes alias stultas spes meas, nec proponere mihi quidquam aliud, nisi DEVM, in cujus divina Majestate sita sit omnis fiducia mea, nullo autem modo in creaturis, quantumvis illæ essent aut sangvine proximæ, aut amicitiâ conjunctissimæ, vel auctoritate quacumque in hoc orbe præpollentes; ad quas si quando recurrere necessitas coget aliqua, jam nunc hanc tibi cautionem do, non facturum me istud antea, quàm ad amabilem providentiam tuam consultò prius omne retulero; fueròq; obtestatus, quòd unicè Tu ille sis, à quo omnem negotijs meis successum expecto. Si-

Significare præterea volo, ſperare me, certò fore, ut ex miſericordia tua fructum ſanctiſſimæ Paſsionis tuæ mihi applices; ut præteritæ vitæ noxas, & delicta inventutis tam mihi, quàm omnibus, quos charos habeo, indulgeas; ut à parvis peræquè ac magnis imperfectionibus, pravis quoque me habitibus liberes; denique ut in omnibus ijs mihi aſſentiaris, quæ facere poſſunt ad ſalutem, & profectum animæ meæ.

Viteriùs volo ſignificare, eâ me ſpe vivere, fore nimirum, ut beneficio tuo ſanctiſſimam quoque Matrem tuam votis

meis faventem habeam, ut eo præterea Spiritûs robore à te doner, quo omnium hostium animæ meæ victor existam; ut in formidabili mortis adventu mihi assistas, finali me gratiâ confirmes, & denique in cœlesti me gloria cum prædestinatis tuis colloces; ut ibi æternùm amem Te & mercedem bonarum, quas circa divinum tuum servitium habuero, voluntatum, recipiam. Hæ sunt universæ spes meæ, quas ante non dimittam, quàm immittar ipse in rerum speratarum possessionem.

X. Amo-

X.

Amoris.

O Amabilisſime Iesv! potero etiam declarare Tibi ut, vellem, quomodo amem Te? potero me explicare ſuper amoribus animæ meæ erga dilectũ cordis mei? Quoties tibi dico? *Amo te*, Non eſt hoc, niſi verbum unicum, ſed plurima ſignificat. Nec enim unquam dictũ volo, ſive corde id fiat, ſive ore, niſi in virtute pacti, quod erit irrevocabile, & ejuſdem cum præcedentibus conditionis. Non igitur aliud volo, quàm quod ſequitur.

Amo Te, mi dulcis IESV! & consecro Tibi in æternum cor meum omnesque affectus illius, cũ hac protestatione, quód inter omnia, quæ amabo (amare autem necesse siabeo omne id, quod amabile est) Tu primas perpetuò habebis: Quòd perpeti quoque malim, ut omnia exarescant membra corporis mei, quàm ut unquam cessem amare Te, aut non vehementer desiderem nova semper incrementa amoris tui.

Amo Te, ô amabilis Servator! plus quàm oculos meos; & utinam collectos habere possem amores omnium creaturarum,

quæ

quæ amoris capaces ſunt, earum quæ fuerunt, ſunt, & erunt, illarum quoque quæ poſſunt eſſe, nec erunt, & hiſce omnibus amoribus Te amare. Super omnia hæc cupiam, cor mihi eſſet, quod pretio ſui, & æſtimatione æquaret centum & amplius myriades cordium, talium quidem, quale fuit MARIÆ Virginis, Matris tuæ, & quale Tuum ad amandum Te eo amore, quo digniſsimus es amari ſuper omne, quod amabile eſt.

Amo te, ô IESU! lumen oculorum meorum! nec quidquam committam, quod contrarium

ſit huic amori tuo, neque quod diſplicere poſsit oculis tuis, Peccatum non ſecus atque Infernus abominabile mihi erit, nec quidquam diſplicitum magis graviùſve cordi meo eſſe poterit, qnàm ſi intelligam, non amari Te, & reperiri tam à natura ſua alienos homines, qui violare audeant ſanctas leges tuas, Tuamque divinam Majeſtatem, etiam in minimis, offendere.

Amo Te, ô IESV, amor meus! ex toto quidem corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus meis, quem unum, nec alium vota mea omnia expetunt; adeò qui-

quidem, ut ſi poſsidere liceat, exponerem, quantùm eſt à me, omnes, quas cœlũ opes, quaſq; terra continent: quem eundem ſi crederem, in ultimis terræ finibus reperiri poſſe, hac ipſa hora viæ me quamprimùm cõmitterem, tenderemq́ue illo, ut ad ſatietatem uſque, ſive hic, ſive alibi eo fruerer. Privarem me quoque libentiſsimus omni bonorum genere, & omne contrà genus mali ſufferrem, eâ ſolum gratiâ, ut felicitatem illam conſequerer, & eſſem unus è numero fidelium amatorum tuorum.

XI.

Querimoniæ.

O IESV, plene bonitatis! Si reputo mecũ imperfectiones meas, quamque parum habeam amoris tui, exiguos quoque cruciatus cordis in ijs omnibus, quæ vel in corpore, vel animo perfero; cupiditas me incessit, querimoniam, sed amoris plenam instituendi super modo, quo tractas me, tanquam si me penitus deseruisses. Inter hoc, quod sustineo, certamen, memoriam subit B. Columba Rosacina, quæ quo tempore crudeliter pestis in Mediola-

nen-

nenſes graſſabatur, cùm moraretur in domo quadam omni deſtituta humano auxilio, cujus omnes incolæ lue jam abſumpti erant, & ipſa quoque eodem malo correpta nec exire jam valeret, nec quiſquam hominum præſidio eſſet; ex ſpiritu admirabilis fiduciæ adverſum Te cœpit amantiſſimè tecum queri, illis uſa Prophetæ verbis: *Pater meus es Tu*: ideoq́; obligatus ad ſuccurrendum mihi in neceſſitatibus meis. Et videas illas, ô mi Devs! Quid ergo extimeſçam? Cum hæc elocuta eſſet B. Columba, meruit continuò querimoniæ tam dul-

dulcis vim experiri. Namque VirgoBeatissima duobus è Sanctorum numero stipata, delapsa cœlo in conclave ejus, consolata est ægram, bonumque habere animum jussit, dum denique Præfecti sanitatis eam inde educerent, cùm interea se in dies singulos dilectæ suæ Columbæ aspectabilem offerret, cibo eidem allato, & Infirmariæ erga ipsam fungens officio.

O Bone IESV, refugium afflictorum! quantæ sunt bonitates tuæ? Permitte oro, & mihi dulciter Tecum queri, quoties occurrerit aliquid, de quo amor queri possit? ut ego quoque in pa

in partem aliquam veniam consolationum illarum, quas tu desolatis elargiri soles, quòve miserum cor meum queam tantisper recreare. Non eloquar, nisi verbum unum, sed in quo inclusi sint omnes ij sensus, quos deinceps recensebo.

Si quando igitur dixero sive corde, sive vivâ voce. *O IESV! Conqueror.* vel *DEVS meus, querelam habeo, quam deponam apud Te.* aliùdve simile; mens mea est, ex eò, quòd agnoscam exiguitatem amoris erga Te mei, & miserum elangvidæ vitæ meæ statum, (ex quo tamen emergere nimis quàm cupio) conqueri apud

apud Te, quo modo olim B. Agatha à Cruce, quæ cum aliquando à sumpta SS. Eucharistia miseriarum suarum multitudinem apud animum suum reputaret, vehementiâ doloris in has amantis voces erupit. O Iesv! ô Omnia! Quousq; tandem tam me mihi miserabilem relinques, quam sine Te nihil omnino posse nosti? Quid ita toleras omnes has perfidias cordis mei, quæ tantopere me excruciant? quò illa, quæ inter duos nos erat, antiqua abijt amicitia? Dic, oro, quod illud est, quo tantopere in Te offendi? cui ego amoliendo omnibus

me pœnis ac cruciatibus promptam offero, ut ita pro ſceleribus meis ſatisfaciam, poſtque integram & perfectam pœnitentiam in priorem gratiæ locum benignè reſtituar.

Mens eſt conqueri apud Te, quòd cùm videas ærumnoſam animam meam, omnibus deſtitutam virtutibus, quas diu tamen noctuque ſuſpirat, in tanta nihilominus confuſione eam relinquas, quaſi neque aures habeas, quæ audiant clamores meos, neque cor, quod ad deſideria mea inflecti ſe ſinat.

Volo præterea quiritantis modo Tibi dicere; Heu me! ô

Domine mi ! quàm diu hæc mea tormenta durabunt ? Volo amare te, nec poſsum.

Volo tuis frui aſpectibus : tu verò abſcondis Te. Eblandiri conor amatoris ad inſtar morcem : ipſa verò me repudiat. Cogitationes alias nolo, quàm Te: illæ autem profugiunt à me. O mitiſſime IESV ! qui nulli unquã voluiſti malè, nunquid in me crudelis exiſtes ? Vitáne tota inter has anguſtias exigenda erit ? Tu ſolus profectò es, qui liberare me potes. Per dulcedinem ergo bonitatis tuæ exerce aliquando miſericordiam mecum. Ego enim verò filius

tuus

tuus ſum, & Pater meus Tu es; anima mea tua eſt ſponſa, & Tu es ſponſus meus: Ego creatura tua ſum, & tu es Creator ac Princeps meus: ô Pater! ô Sponſe! ô Princeps ſupreme! nunquid in oblivione ſum apud Te?

XII.

Langvoris.

O IESV, amicorum cordis mei Alpha & Princeps? Intelligo quoſdam ex amore tui ægros eſſe, qui ſuſpirent, & exanimentur propè, ac elangueant ex deſiderio, quod habent videndi Te, & è flammis illis

cœlo natis quibus uritur anima eorum. Sic B. Amanda, mater D. Henrici Susonis trium mensium spatio ex amore hoc ægra, lectoque affixa fuit, sineque cessatione istud temporis suspirando ad te, & ad vitam æternã transmisit, ubi de divinissimæ faciei tuæ cõtemplatione gaudetur æternùm. B. Agatha à Cruce & ipsa non ratò morbida aliam ægritudinum suarum causam non habuit, nisi violentas velut impressiones amoris tui, ut adeò ejusdem Gonfessarius, Medico cuidam percurare eam volenti aliquando diceret: Omitte, sine, amor curet illam.

illam, quæ ægra non eſt, niſi ex amore. Hunc eundem ordinarium morbum habuiſſe S. Thereſia creditur ; & verò ex illo etiam occubuiſſe.

Ex hoc amore non & ipſe æger ſim? Credere ſanè vix audeo ; Nec enim de meliore illo luto ſum in ſignum amatorum tuorum. Neſcio equidem, quid illud ſit, quod me torqueat ; iſtud tamen novi, miſerè me cupere videre te ; faſtidio mihi eſſe omne, quod in mundo eſt, nec in ulla re hujus vitæ perfectam quietem me reperire : ſed conſumi me ſenſim ſine ſenſu, rumpique mi[illegible]u propè vio-

lentiâ suspiriorum, quæ volant ad Te, Quò enim tenderent rectiùs, aut quem potiùs scopum haberent. quàm dilectum cordis mei?

Sed hoc agamus, & paciscamur, ô desiderate animæ meæ? Si necdum inter eos sum, qui languent ex amore Tui; at esse cupio. Quandocumque igitur dixero sive corde, sive vivâ voce; *O mi IESV! Langueo.* Vel suspiravero dicendo: *O amor meus!* Significo Tibi hisce suspirijs & verbis languoris, quæ mihi excidunt, me cum sponsa tua suppliciter compellare omnes filias cælestis Hierusalem, hoc

est

omnes ſanctas in cœlo animas, cum omnibus Angelicis mentibus, bona Tibi verba mei loco dicant, & annuntient, quia amore Tui langueo, ô unicè dilecte mi!

Volo ijſdem verbis Tibi ſignificare, quod diſplicitum ſit mihi omne quod in hoc orbe eſt; quòd vitam ducam planè mortualem, dum felicitate viſionis tuæ privatum me video, & poſſeſſione illius, quod unicè habeo charũ? quòdq; hîc loci reperiam omnino nihil, cui cor meum affigere valeam; cùm plena ſint omnia inconſtantiæ,

plena

plena amaritudinis, & fallaciarum; quæ ad id unum me incitant, ut non suspirem aliò nisi ad Te, adeòque credam, nisi vitam hanc sustentâsses, jam pridem à langvoribus desideriorum cordis mei consumendam fuisse.

Volo præterea illud dicere, pœnam mihi grandem esse, vivere in expectatione tam longinqua optabilis & tantopere desideratæ mihi horæ mortis quæ scindet denique cortinam, quæ me à te separat; diesque qui tam celeriter decurrunt alijs, mihi centum ad instar annorum esse; nec illætabilia tristiaque

ſtiaque magis nova adferri poſſe, quàm ſi nuntietur, pluribus adhuc annis ſuperſtitem me fore, nec niſi tardè finienda ſuſpiria & langvores meos: quod totum tempus ad hoc mihi dari exiſtimabo, ut dicam centies, iterumque centies pro more meo repetam, diebus ſingulis illud:

Ultima quando mei veniet certaminis hora?
Quando dies aderit, quâ non peccabitur ultra?

XIII.

XIII.
Complacentiæ.

O IESV ! Dulcissima, nec non securissima omnia compla-
centiarum inter homines mate-
ria ! Certum illud est, agere no-
posse, quæ sint secundùm co-
tuum. Et hoc est arcanum il-
lud, quod aliquando B. Agath-
à Cruce famulæ tuæ fideli, i-
colloquio, quod cum S. Fran-
cisco, & S. Dominico illi fui-
indicatum est ; tum, cùm il-
nomine tuo ad illam viseren-
Nimirum id ei significarun-
posse ipsam acceptam Tibi fie-
ri, si multa bona opera exerce-
ret

ret; ſi ſeſe ad bene patiendum diſponeret, gloriam tuam procuraret, & magnum animarum numerum ad ſervitium tuum adduceret.

Volo, ô dilecte mi! proventum ex iſto capere, & complacere Tibi in ijs omnibus, quæ unqum Sancti ſive homines, ſive Angeli placita tibi aut fecerunt, aut porró facient. Quandocunque igitur dixero, ſive mente ſolùm; ſive etiam verbotenus O IESV, *Volo tibi placere*, vel his ſimilia; ſignifico Tibi, complacentiam me habere in omnibus perfectionibus tuis, in excellentijs univerſis, in illa quo

quoque diviniſſima amicitia, quæ Te inter, & DEVM Patrem, Sanctumque Spiritum arctiſſima intercedit: In illa præterea complacentia, quam Tu de Teipſo habes; & gloria illa, quam Sancti omnes reddunt Tibi, reddentque in cœlo & in terra. Et in his quidem complacentijs infinito quodã modo magis acquieſcere me, quàm in alijs omnibus oblectamentis, quibus frui poſſem, modo etiam perfectiori, quàm ſive ſenſus, ſive animus meus poſſent in hac vita deſiderare.

Significo inſuper non habere me finem alium in omnibus cogita-

gitationibus, in omnibus verbis, & universis actionibus meis, nisi ut Tibi satisfaciam, & orem divinam Tuam Majestatem, uti solita est S. Catharina Senensis, privare me velis omni genere consolationum; ipsâ adeo propriâ meâ voluntate, ut hoc pacto gratior Tibi evadam, & tandem aliquando purè, pleneque perfruar divitijs illis inæstimabilibus, quas promittis amicis tuis.

Significo cupere me, solum per me tantùm placere Tibi, quantùm fieri posset ab omnibus simul creaturis, & stet æternùm: desiderare quoque, ut il-

læ, quæ modo vivunt, nulla in re perinde conſpirent, ut in eo, ut laborent, cogitent, loquantur, & vivant ſecundùm leges & ſignificationes beneplaciti Tui.

XIV.

Gratiarum Actionis.

O IESV! Benefactor meus! Nihil omnium ita deſidero, quàm agnoſcere poſſe, & rependere gratias omnibus illis, qui me ſibi devinxerunt. Quòd verò ad te attinet, debitũ iſtud meum ita habeo cordi, ut æquè nihil exhorreſcam, ac vivere, & mori Tibi ingratum. Dehinc autem

autem iſtud agam ad evitandã notam hanc, & ſæpiſsimè divinæ Majeſtati tuæ verba gratiarum actionis exhibebo; ſed cũ pacto hoc, ut ſi quando dixero, ſive corde, ſive etiam ore: DEUS *meus* ; *ago Tibi gratias.* Vel illud ordinarium Deiparæ Virginis dictum: DEO *gratias* Vel: *magnas gratias mi* IESV! verbáve ſimilia, ſignificem ijs deſiderium, quod habeo, referendi Tibi gratias infinitas pro omnibus ijs rebus, quas poſterius deſcribo.

Gratias Tibi ago, ô Servator mi! cujus ego mille nominibus debitor ſum, ob amorem illum infinitum, quo me proſecutus

es; eò uſque, ut humanâ carne veſtiri volueris, nativitatis tuæ tempore in ſtabulo deliteſcere; triginta exin annorum ſpatio vitam degere omnibus pœnis moleſtiiſque obnoxiam; tantâ denique cum ignominia in ligno Crucis emori, cum patientia quidem incredibili; idque totum commodo duntaxat meo, meique amore, tanquam ſi præter me nemo ullus in mundo degeret.

Gratias tibi ago, ô ſemper beneficentiſsime IESV! quod per aquas ſancti baptiſmatis adoptaveris me in filium Tibi, quòd à diaboli poteſtate, morte & infer-

no toties eripueris, quòd è tenebris peccati, in quibus diutiſsimè hæſi, me extraxeris cum tanta ſuavitate & patientia præſtolando interea pœnitentiam meam, nec præcipitem agendo in Infernum, ſicuti merebantur ſcelera mea.

Gratias Tibi habeo infinitas, ô Servator mi! pleniſsime bonitatis! ob tot inſpirationes mihi ſubmiſſas, tot inſtructiones, admonitiones, & quaſi Lectiones, quæ Tuo nomine ad me habitæ ſunt; de tantis quoque exemplis bonis, quæ mihi cùm in admirabili vita tua, tum fidelium ſervorum tuorum reliquiſti;

ſti; de tot omnium generum benefactis, quibus me Tibi obſtrinxiſti, conſervando ſanum, à tot malis præſervando, è tot periculis eximendo, tantum occaſionum ad benefaciendū largiendo, participem reddendo Sacramentorum tuorum, & denique gloriam æternam, cœleſtemque promittendo hæreditatem.

Grates habeo, ſupra omnes omnino homines liberaliſsime, & magnificentiſsime IESV, pro omnibus beneficijs, quæ totidem argumenta ſunt bonitatis tuæ, quæ Tu mihi imprimis, dein alijs quoque omni-

mnibus, ijs præſertim exhibuiſti, qui oblivione omnem, quã quam deberent, gratiarum actionem ! ¡ ſepeliunt. Demum gratias meminiſſe volo omnibus illis modis, qui Tibi ſunt omnium acceptiſſimi.

XV.

Oblationis.

O IESV ! Vnice animæ meæ ! Neſcio num ipſe me palpem : illud tamen ſentio, incredibili deſiderio flagrare me, medullitus tradendi me Tibi ſeriò aliquando, & oblationis loco offerendi, omne id, quod mens mea poteſt concipete. Vt au-

tem id agam sæpissime, nec per oblivionem quidquam prætermittam, humillime Tibi supplico, ut acceptas habere velis omnes illas res, quas ordine infra descripturus sum: quas & si verbis non exprimam nihilominus, quotiescumque sive corde, sive ore dixero; *DEUS meus! Offero Tibi*, horumve similia, eas tibi oblatas volo, sensu animi intimo, tamque efficaci, quàm Tu solus nosti creaturis tuis possibilem esse.

Offero me, ô supreme Domine. Divinæ Majestati Tuæ integrum ex omni parte munus, cum omnibus, quæ quoquo

modo ad me pertinent; animam cum universis potentijs suis; cor meum cum universis motibus ejus; corpus cum omnibus ipsius operationibus; cogitata mea omnia, verba omnia, omnes actiones, & quidquid demum ipse sum.

Offero tibi, ô Princeps meus, quidquid in creaturis tuis elegans, quidquid perfectum, quidquid opulentum est, sive aurum illud sit, sive argentum; seu gemmæ nobiles aut pictissimæ telæ, & quidquid hujus generis aliud est, aut creari à Te potest, eo quidem animo, ut, si in mea sit potestate, ea effunderem

rem universa, vel levandæ pau. perum miseriæ; vel altaribus tuis exornandis, aliáve impen. dendo ratione honori tuo.

Offero Tibi, Rex meus, uni. versas infamias, opprobria, vi. tuperia, dolores, pœnas, fasti. dia, angores, angustias & tor. menta, animæ, corporisq; quæ vel perpessi jam sunt, vel perpe. tientur dehinc omnes mortales in hoc mundo, in Purgatorio, in Inferno; illa insuper, quæ unus Tu nosti ferri posse, non in hoc solùm mundo, Purgatorio, & in Inferno, sed in mille adeò mundis Infernis, Purgatoriis. que alijs, quæ quidem, si colli. bitum

bitum Tibi eſset, ſufferre vellem amore Tui univerſa, tali liberalis animi alacritate ac reſignatione, qualem ſapientiſſima creaturarum tuarum habere poſſit.

Offero Tibi ô magne DEVS, omnia opera bona, omnes cogitationes ſanctas, & actiones virtutum quas exercuerunt unquam, exercent, & exercebunt, aut poſſent exercere infiniti homines, atque Angeli; quas ego, ſi fieri omnino poſſet, exequi vellem univerſas, meque ijs perfectiſsimè impendere, propter amorem tui, & deſiderium, quo flagro, ut omnia tendant ad

Te

Te tanquam ad centrum, & finem ſuum ultimum.

XVI.

Proteſtationis ad ſerviendum.

O IESV, quem unum ego Dominum agnoſco; decretum omnino mihi eſt, quocumque etiam impendio meo, Tibi ſervire, & nunc proteſtationem hujus rei publicam facere, omnibuſque & Angelis & hominibus deſiderium hoc meum palam denuntiare.

Quandocumque igitur dixero hoc, illòve modo: DEVS *meus*, *Proteſtor*. Vel: IESV, Princeps

Princeps meus, Volo Tibi ſervire, ſimiliáve verba; tantundẽ erit, pace tuâ, ac ſi dicerem ea omnia quæ ſequuntur.

O mi amantiſsime Redemptor, in teſtes Tibi adduco omnes creaturas, quòd Dominum extra Te alium velim neminem, quòdque unum Te faciam pluris, quàm omnes hujus mundi abſolutos Dominos; & idcirco curæ meæ omnes eò nitantur, ut ſerviam Tibi, & voluntates tuas eâ mente exquiram, ut cum quantâ fieri poteſt, perfectione impleam.

O Iesv, deliciæ Cœli & terræ. Nulli alteri, præterquam

Tibi ſervire animus eſt. Regnat enim, qui ſervit Tibi; neque in re alia ullâ reperitur ſalus, niſi in ſervitio tuo; cùm cetera omnia fallaciarum plena ſint. Abhinc quoque intentos in Te perpetuò oculos geram ad perficienda ea omnia, quæ requiris à me, minimo etiam nutu divinæ voluntatis tuæ interprete. Neque unquam quiſquam ſervorum Domino ſuo obſequentior fuerit, uti ego ad ſolam inclinationis tuæ adorationem.

O IESV, imperijs omnibus digniſſime, do fidem Tibi meam, & ſolenniter promitto, ſubmiſſurum

ſurum me ex toto corde memet omnibus legibus ſuaviſſimæ ſervitutis tuæ, quam ex debito Tibi deferunt creaturæ omnes, cujuſcumque illæ conditionis fuerint.

In hoc autem ſtatu circumſpiciens me triumphantis in modum exulto; neque commutem felicitatem hanc meam omnibus, quas fingere poſſem; ſublimitatibus; uſque adeò, ut, ſi demus fieri poſſe, ut nihil ego à Te dependeam, vel ex hoc momento omni illi juri talis independentiæ renuntiarem. Nolim enim hoc; nec aliud volo, quàm eſſe per omnem æternitatem

mancipium tuum. Et ô utinam vel vitæ meæ impendio efficere illud queam, ut orbis universus idem mecum ſentiat, ac profiteatur.

XVII.

Fidelitatis.

O IESV, æternùm amice animæ meæ, en ulterius me tendo. Parùm eſt, imò nihil eſt, quòd amori me tuo, & ſervitijs devoverim, maximum verò, ſi conſtans, fideliſque perſiſtam.

Idcirco ſive corde aliquando dixero ſive ore: DEVS *meus*, *Ero Tibi fidelis*. Vel: *Domine* IESV, *mori volo in ſervitijs tuis*, ſimiliáve

ve alia; ſecurum Te cupio reddere de conſtantia ac fidelitate mea, ac ſi conceptis verbis dicerem, quæ ſequuntur.

O Iesv, Princeps & exemplum unicum fideliter amantiũ! Cupiam mundus ſciret, quòd meliùs ſit nihil ſervitio tuo; quòd conſtitutum mihi penitus ſit, perdurare in eo immotum, quacumque demum ratione me tractare volueris. Si fiat, ut vultum quandoque mihi minimè benignum videaris exhibere, erit ille mihi nihilominus ſemper amabilis, cùm ſemper ſit vultus Iesv & Servatoris mei; qui in pœnis cùm infligit, non

minus mihi gratus est, quàm in blanditijs quas offert.

O Iesv, cui ego æterna deferre servitia unicè desidero, sine relaxatione quidem, quàm illa cumque dura ac molesta sint; magnus tuus Apostolus, Sanctus Paulus, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque præsentia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neq; creatura ulla poterit me separare aut dimovere à jurato Tibi amore meo.

O Iesv, amicorum omnium amice fidelissime? Iuro Tibi fidelitatem; nec aliã, quàm quæ

tuæ

tuæ ſimillima ſit. Tu fidelis ille amator es, qui fidem nunquam deſtituis, quique prior nunquã deſeris amantem Tui. Quod ſi idem facio ego, ecce ambo æternùm colligati erimus. Hanc ego gratiam à Bonitate tua certus exſpecto. Nam qui tuâ ſe fulcit amicitiâ, bene is fultus eſt æternùm.

XVIII.

Petitionis.

O Iesv! Pater omnis abundantiæ. Et ſi amor me nullus inſtigaret; cogunt tamen neceſſitates meæ, ut recurram ad Te, & paupertas mea, nec il-

la ſimplex, ac miſeriæ adurgent, ut Te accedam.

Pauper ego ſum, ut qui maximè, nec pauci alij in hoc ſimiles mei. Sed bonitates tuæ infinitæ cùm ſint, facilè hoc indulgebunt mihi, ut importunus etiam conveniam Te, ut petam & pro illis, & pro me, quæ neceſſaria nobis eſſe ſentio.

Quotieſcumque ergo dixero ſive corde, ſive ore: *DEVS meus, peto à Te*, ſimiliáve verba illud volo, pro me nimirum, proque illis omnibus, qui paris mecum indigentiæ ſunt, efflagitare à Te omnia illa, quæ hic deſcribo. O Ie-

O Iesv, pars, & hæreditas humillimè Tibi ſupplex fio, ut elargiri mihi velis, quæcumque Dominica, quam Tute nos edocuiſti. Oratio comprehendit; præſertim verò, ut placeat Tibi anteactam mihi vitam ignoſcere, cum illo favoris auctario, ut nunquã deinceps legibus tuis rebellis exiſtam; ſed mille potius oppetam mortes, quàm ut animo deliberato committam facere, non dicam peccatum mortiferum, qualecumque illud ſit, ſed minimum etiam veniale; ut ita Te bene juvante illam referam nobilem perſeverantiam, quæ ſola actiones reliquas omnes coronabit.

O IESV, Pater dulcedinis! Oro illam præterea gratiam, ut cognoſcere mihi detur primũ memet; tum deinde dona quoque Sancti Spiritûs; Theologicarum & Cardinalium pretia virtutum, omniumque aliarũ, quæ perficere poſſunt animum meum? ſingulariſſimè autem humilitatem, charitatem, patientiam, manſuetudinem, caſtitatem, & perfectam imitationem illarum, quæ magis è ſanctiſſima vita tua eluxerunt; & ante alias acceptiſſimæ Tibi ſunt, virtutum.

O IESV! Origo exhauriri neſcia omnis generis bonorũ!

Peto

Peto pro me, & amicis meis omnibus, ut illam nobis facias gratiam, & despertingere ad altissimum perfectionis gradum, quem tu nosti ab aliqua creatura conscendi posse; utque contingat nobis id omne, quod est ad majorem tuam gloriam. Denique ut post periculosa ærumnosæ hujus vitæ certamina, læti victoriâ ex hostibus reportatâ templum gloriæ ingredi possimus, & ibidem contemplari æternùm, divinissimum vultum tuum, objectum illud expectatissimum, & desideratissimum omnibns populis terræ.

XIX.
Obteſtationis.

O IESV! ſemper ad prece tuorum attentiſſime, me tuo, ut orem apud Te, ſicut o portet, & ut poſtulata mea ſa tis urgentia ſint. Vt nihil ergo quod ad rem pertineat omitti obteſtor Te, per quidquid ipſ es, perque omne id, quod eg Tibi ſum, annuere velis deſide ratis meis, præſertim verò, u pactum iſtud ratum habeas, u ſi dixero ſive corde, ſive ore: *Servator mi* ! *Obteſtor Te*, ſimilév aliud, tantundem Tibi ſit, ac loquerer hunc in modum.

Oro

Oro Te ô Amor meus! per omnem Bonitatem tuam, & obtestor per intima viscera misericordiæ tuæ, ut benignâ aure excipias suspiria cordis mei, semper ex eo afflicti, quód parum nimis amet Te; per omnes quoque rationes, quæ Te reddunt amabilem; per amorem infinitum, quo Tu Temet prosequeris; per illum, quo Matrem tuam ardes; prædestinatosque universos; quòque ipsi ardent Te: fac, obsecro, ut qui ad hoc usque momentum non amavi Te, incipiam deinceps sic diligere, ut fieri hoc loci potest: quò præteritas jacturas omnes

vel hac ratione resarciam.

Amantissime Servator nequidquam eorum prætereamᵹ quibus Tu inflecti potes ad exaudienda suspiria mea, oro supplex, per omnia divinissima facta asperrimæ vitæ tuæ, quæ suscepisti pro nobis : per omnes immanitates, quas nostri causâ dolorificæ passionis tuæ tempore exantlasti, per alapam, quæ inflicta Tibi est, per cruentam illam flagellationẽ, per omnes denique alias incredibiles tolerantias tuas oblivis cere delicta iuventutis meæ, ignosce miseris peccatoribus, serva gentem bonorum, afflictos sublevaᵹ

leva, misericordiam ijs exhibe, quos creasti, & concede omnia illa, quæ secundùm beneplacitum tuum sunt, faciuntque ad gloriam tuam majorem: ante omnia autem cognitionem, amoremque necessarium, quibus adjutus ex integro ad Te convertar.

O IESV! summum bonum meum, & vita mea dulcis. Obsecro Te per ineffabilem unionem amoris illius, qui inter divinas tres personas, in unitate essentiæ vestræ, quâ DEVS estis, intercedit, miserere creaturæ tuæ, nec fastidias miserum me. Quodsi arcana justitiæ tuæ ha-

bent aliquid adversum me, tua illud bonitas oblitteret, nec ulla unquam illius mentio deinceps inferatur, aut recordatio.

XX.

Commendationis.

O Magne IESV, quanta habeo, quæ commendem Tibi. At quis modus, ut minutim, & quàm creberrime id faciam, uti fert desiderium meũ? Age, paciscamur inter nos, si placet, ut, si quando dixero verbo tenus, aut tacitè solùm intra meum cor: *Michare IESV! commendo Tibi*; Tu intelligas commendare me singularissimè

ea

ea omnia, quæ ſequenti formulâ continentur.

Dilecte mi! commendo Tibi ſanitatem meam, temporalia negotia mea, cognatos & amicos meos, Benefactores & Superiores, neceſſarios & inimicos meos, illos inſuper, qui qualicumque moleſtiâ me affecerunt, qui averſionem habent à me, eos denique qui precibus ſe meis commendarunt.

O miſericordiſſime IESV! Commendo Tibi omnes hujus terræ mortales, nominatim verò illos, qui in gratia tua ſunt, ut in ea perſeverent; miſeros quoque peccatores, qui illâ ſceleri-

leribus ſuis meruerunt excidere, ut mutentur in melius, & ad officium reverrantur; ſuper omnia verò commendo Tibi animam meam, meã perfectionem, præſidia ſalutis meæ, & extrema vitæ meæ momenta, cùm ultima jam ſuſpiria animam exhalabunt.

O IESV, plene miſerationũ, commendo Tibi univerſam Eccleſiam, Prælatos ejuſdem, Eccleſiaſticos & Religioſos, Reges, Principes, Nobiles, eos qui Iuſtitiam adminiſtrant, aliorúmve Ordinum ſunt, divites atque pauperes, afflictos, captivos, carceri mancipatos, ægros

atque in extremis positos, animas piacularibus flammis addictas, & illas sigillatim, quæ longo jam tempore cruciatibus illis emendantur.

XXI.

Donationis.

O Iesv! omnium, quæcumque hæc rerum complectitur universitas, Princeps ac Domine! Consitendum necessariò nobis est, nihil omnium esse, quod donari Tibi queat, cùm tua pridem ante sint omnia. Si quid tamen recipere à nobis potes, en donum meum. Si quando sive lingua Tibi dixerit, sive

mens mea; DEUS meus! Dono Tibi, similéve aliud, in munus offerre Tibi cupio, quæcumque mox enumerabo.

O IESU, dignissime, cui omnis universitatis hujus opulentia conferatur. Dono Tibi animam meam, memoriam, intellectum meum, meam voluntatem, cor & corpus meum bona & possessiones meas, & quidquid usibus meis inservit, quidquid in potestate ac censu meo est. Et donationem quidem horum facio irrevocabilem, eo animi sensu, quo potest donare ulla creaturarum ad tempus, vel æternitatem.

O ve-

O verissimis divitijs ditissime Iesv, dono me eâ ratione Tibi gratissimâ, quâ se unquam creatura, quæcumque illa sit, Divinæ tuæ Majestati dono dedit; ad eum omnino modum, quem, S. Catharina Genuensis usurpavit, cujus istud verbum creberrimum erat: sive manducē, sive bibam; seu loquar, seu sileam; sive in templo commorer, sive in domo, sive alibi locorum; sive ægra sim, sive sana, seu vivam, seu moriar; omnibus vitæ meæ horis atque momentis, volo hæc fieri omnia Tibi, propter Te, in Te; cùm nullum sit pulchrius, nullum

me

me dignius decretum, quàm totam me tuam esse.

O Iesv, qui donorum, quibus dignus es pretium unus nosti; si ea feliciras mea est, ut sim de numero amicorum tuorum, per charitatem, quam nemini ejusdem cupido negas, cum mihi tali affirmet Apostolus tuus, meum esse Spiritum Sanctum: Evangelicus quoque Propheta tuus me doceat, donatum Te nobis per Incarnationē fuisse; illud consequitur, Te non minùs, ac Spiritum Sanctum meum esse. Quod si meus es, donare utique, quod meū est, potero; & idcirio Tibi Te-

met-

metipſum dono, & auctarium addo ipſum S. Spiritum. Cùm enim ambo ſitis mei, duplex hoc pretioſiſſimum donum accipe. Hoc enim & maximum eſt, & pretioſiſſimum, quod donare poſſum, DEVM DEO, IESVM IESV, & IESV Spiritum Sanctum.

XXII.

Abdicationis rerum externarum.

O IESV, perfectiſſimum exſpoliationis exemplum, quod ſequi debemus circa omnes creaturas, ut nos abſtrahamus, atque extricemus ab inor-

inordinato amore cujuscumq; rei, quæ DEVS non est; quia tuum, illud est pronuntiatum, quòd, qui non renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non possit tuus esse discipulus; ecce renuntio nunc jam, & abdico me omnibus ijs, quæ extra, & circa me sunt: atque ideo, si quando dicam sive corde, sive voce: *DEVS meus, Renuntio*, similiáve verba; significo Tibi, velle me exspoliare animã meã, & avellere à bonis omnibus mundi hujus; à voluptatibus, honoribus, excellentijs vanitatibus denique omnibus; ita ut horum deinceps nullis affi-

cia-

ciatur, ſed vilifaciat univerſa; nullam de ijs cogitationem ſuſcipiat, verba omnino nulla eorum gratiâ perdat; ſed oblivioni tradat æternæ, nec eorũ poſthac inanijs ludificari ſe ſinat.

Indico præterea, abdicare me omnes à me creaturas; cujuſcumque generis perſonas; omnemque ſenſualem affectionem erga propinquos, & eos, ad quos tacitâ quâdam naturæ ſympathiâ propendeo; quos amo quique me naturæ quodam impetu, alióve modo diligunt: renuntiando ijs, ſtatuendoque magna exiguaque cum ijs commercia abrumpere, quæ aliud

non faciunt, quàm ut seriùs, ocyùsve perfectionis meæ studium retardent.

Significo quoque missas me facere cõmoditates omnes hujus temporis, curas corporis inutiles, hominum favores, opiniones, judicia, sermones ac sensus; quos omnes respectus, ô, nolo deinceps regulas mihi esse ac duces, sed ita potius vivere statutum hebeo tanquam si ij omnino non essent, & præter DEUM, atque me nemo præterea in Orbe hoc versaretur.

Significo denique abdicare me amorem omnem hujus vitæ & sa-

& ſanitatis, illecebras ſenſuũ; affectionem ſi quam habeo ad hæc illáve officia, hæc illáve dona, aut talenta naturalia; deſiderium immodicum videndi, aut agendi familiariter cum quocumque hominum; ſolatiola è rebus exterioribus & naturalibus hauſta; denique omne omne illud, quod ſive cogitatum, ſive deſideratum, ſive poſſeſsum, natutaliter, aut non ſine imperfectione occupat animum meum, turbat, conſtringit, & quadam velut compede alligat, vetatque illum elevari, ſed miſcet creaturis, & avertit à Creatore.

XXIII.

Abnegationis Interioris.

O Iesv! Tu, qui cor amantis ex toto, & integrè habere vis nec pati potes, ut Dominis serviatur duobus, docuisti me istud, satis non esse, si rebus, quæ extra me sunt, renuntiem, nisi me interioribus denudarem; ut ita vacuus alijs omnibus animus Deo uno impleatur; nec occupetur, nisi solùm & unicè à divino tuo amore.

Ergo & meipsum jam jam abnego, quæq; mihi intima sunt, exuo. Si quando igitur dicam sive voce, sive mente; DEVS me-

m, denudo me omnibus. Aut: *A issa facio omnia,* ſimiliáve alia, mens mea eſt renuntiare amori proprio, illi omnium malorum meorum ſcaturigini omnibus placitis meis, cogitationibus, judicijs, animi mei decretis & deſtinationibus, commoditatibus & voluntatibus univerſis ut liber ab his, nihil habeam in conſilio aliud, niſi ductum, motionem, & incrementum gloriæ divinæ, ac ſpirituale meũ emolumentum.

Significo ex animo rejectare me, & nulla penitus ſolicitudine tangi velle æſtimationis propriæ, aut rei ullius, quæ

conciliare mihi honorem posset; nec magnificè deinceps sentire de me, sed infra omnes potiùs me demittere: nolle expetere laudes hominum, neque favores illorum, aut honoris delationes; non familiaria cōmercia, non approbationes, ne divinæ quidem gloriæ prætextu: illud potiùs optando ut obscurus & inglorius delitescam, nec oculis alijs, quàm DEI, appaream.

Indico insuper nolle me affigere animum ipsis adeò virtutibus, illustrationibus, suavitatibus & consolationibus, aliisve similibus rebus, quæ

cum DEVS ipſe non ſint, ſed creaturæ ſolùm, puro DEI perfectoque amori impedimento eſſe queant: nec enim ſine ratione timorem habeo, ne res hæ, etſi ſacratiſſimæ, ſuavitate tamen ſua & quiete, quàm ſecum afferunt, amorem ipſum intranſuerſum agant, & eripiant veluti mihi intentam illam inquiſitionem perfectamque Divinitatis poſſeſsionem. cui ego conſecratas dudum habeo omnes meas intentiones; quas puras eſſe, nec miſtione ullâ extraneorum motivorum infectas volo,

XXIV.
Renovationis.

O IESV! qui in beneficijs in nos congerendis incomparabilis es, & favores, erga nos tuos quotidie innovas, vide ingens desiderium meum, innovandi ex mea quoque parte servitia, omnesque bonas ac pias voluntates meas; quod etsi in momenta singula facere cupiã, quia tamen id fieri haud potest, dicam saltem sæpissime. DEVS *meus Renovo*. Quod sive lingva sive animus, pronuntiet, hoc, verbisve similibus, desiderata mea indico, quæ perinde ut ac-

cepta Tibi ſint, oro, ac ſi hunc in modum loquerer aut cogitarem.

Volo innovata laudabilia omnia animi mei decreta, quocumque ea tempore conceperim, itemq́ue vota mea, piaq́ue deſideria omnia, cum omnibus Sancti amoris actibus, erga Te, erga Genitricem tuam, erga Angelos & Sanctos tuos, quorum mihi conciliare favores, ut pote amatorum tuorum conatus ſum, ut ipſe acceptior ex eo Tibi redderer. Ex hoc quoque tempore cogitata mea omnia, verba omnia, omnes eò directas à me actiones repeto, eoq́;

qui

qui mihi possibilis est, modo ratifico & innovo. Et hanc quidem renovationem mei, ita cupio instituere, ut solus ego cum eo pietatis sensu, ea cum perfectione, eo cum amore innovare possem Spiritum meum, quemadmodum id præstanr tam multæ præclaræ & religiosæ animæ, diebus illis, quibus solennem ejusmodi renovationem semel aut bis in anno suscipiunt, facerem id sanè lubens, volensque ; & jam nunc, quantùm licet, facere contendo.

Innovari itaque in me volo, quidquid per universam vitam meam, studio placendi Deo agere

re conatus ſum; ſed cum illo ardore S. Franciſci Xaverij, qui manè diebus ſingulis bona ſua propoſita, & ſancta Religionis vota renovabat: cum illa B. Agathæ à Cruce mira ſolertia, quæ quotidie Communionem Spiritualem ducenties iterabat: cum illa S. Marthæ dilectiſsimæ hoſpitæ tuæ aſsiduitate, quæ in dies ſingulos trecenties ſuas repetens preces, toties in genua ſolita eſt procumbere.

XXV.

Compaſsionis.

O IESV! præ mortalibus omnibus, dolorificæ potiſſimum

mum tempore paſſionis afflictiſſime! Qui exceſſum in hoc amoris tui, & patientiæ noſtri cauſsâ exercitæ penetrant, deberent ſanè cum intimæ compaſsionis ſpiritu nunquam non cogitare de Te, cum aliter paſſioni rependere paſsionem, aut amori amorem haud queant.

Quod ad me autem pertinet, deliberatum omnino mihi eſt calamitatibus tuis compati, neque unquam beneficij hujus oblivisci, quod utique commiſerationem meam ſuper anguſtijs tuis maximam meretur. Quando autem facere aliud non poſſum, crebertime ſaltem, ſive corde,

corde, ſive ore paucula hæc verba profabor: Iesv! *miſeret me tui.* Vel: *Compatior, Dilecte mi,* vel his ſimilia: quæ cum eloquor, commiſerationem, quam habeo tecum, indico, verbis ſequentibus declaratam.

Ita me afficiunt injuriæ, opprobria, deſpicientiæ, ceteræq; indignitates, quas decurſu paſſionis tuæ pertuliſti, ut paratus omnino forem vitam omnem in ſuſpirijs, ſingultibus, fletibuſq; ducere, ita ut ambo oculi mei binis lachrymarum rivis ſine ceſſatione effluerent, quibus ad extremum uſque halitum palam Orbi teſtificarer dolores,

quibus cor meum afligit mors tua.

Suspiro flebiliter ad vocem & clamores amoris plenos, quos sanguis IESV ciet, (quantò innocentior, quàm fuerit justi Abel!) qui tanto cum amore effusus est ex parte ejus, quanta cum crudelitate à parte hostium.

Colliquescit cor meum compassionis teneritudine, solaque tot sangvinolentarum ex amore profusionum recordatione, quas aliæ insuper pœnæ acerbissimæ comitabantur: neque facere possum, quin perpetuò in animo versem Imaginẽ tam mise-

miserandi spectaculi, tamque atrocium vulnerum, quibus perfossus amore mei fuisti.

Nolo innocentissime Servator, nolo solum Te, duos inter latrones destitui; nolo solas filias Ierusalem ingentibus pœnis tuis illacrymari: Ego quoque in partem venire, & quotidie piâ meditatione columnæ me sistere proximum volo, ubi Tu flagellorum ictus, heu! sex millia, accepisti; aut pedi Crucis, ubi tormentis obrutus immanissimis animam exhalasti: nec committam, ut in lacrymis, dolorisque & compassionis actibus me superent alij, qui ob

tormenta, quæ perpeſſus es, tui cõmiſeratione tanguntur. Imò ſic deſidero tormentorum tuorum fieri, quâ licet, particeps, eaque ſic tecum partiri, ut ſolus ego tantâ cuperem compaſſione ferri erga Te, quantâ omnes ſimul ſancti ferebantur. Perfer Tu, patere, morere mi Iesv; ego in ſepulchrum Tibi cor offero, in quo Te per ſuſpiria perpetua, continuamque recordationem reponam ac retinebo.

XXVI.
Contritionis.

O Optime & benigniſſime Iesv! quis modus Tibi tam cre-

crebrò, tamque ſinceriter, ac vellem, teſtificandi dolorem, qui torquet peccatorem animū, eò quòd offenderit, contemptuique habuerit per decem facilè millia & amplius ſtultarum, pudendarum, & ſceleratarum præteritæ vitæ actionum; quarum ita me modò pudet, ut verear comparere adeò coram Te, vixque impetrem à me, ut cœlo oculos levem, cùm ne obtutu quidem illius dignū me judicem. Nihilo tamen minùs de infinita confiſus miſericordia tua dicere audebo ſæpiſſime: *O IESV! præteritæ vitæ da veniam.* Vel: *DEVS meus! Amo-*

re Tui doleo, quod Te offenderim, similiáve verba; sub quibus intelliges Tu, quæ sequuntur, quæque pro dictis, ut acceptes, oro.

O IESU! Iudex supreme, idemque Arbiter vitæ meæ! oro cum intimo, quemque elicere possum, maximo doloris sensu, ignoscere velis sceleribus vitæ meæ, quæ & generatim omnia, & singula sigillatim detestor, & abhorreo, quia læsæ Majestatis tuæ crimina sunt, & à Te ultimo Fine suo exerrantes actiones; cum proposito efficaci, bene juvante gratiâ tuâ, confitendi de illis, serióque emendan-

di, & mortes potius mille ſubeundi, quàm ut eorum vel unicum deinceps ſuſcipiam.

O IESV! Theſaure cordis mei! Doleo dolore animi mei maximo & penitiſſimo, quòd per ſummum Tui contemptum cupiditates meas divinæ Majeſtati tuæ antetuli, & extremè odi ipſe me, propter culpas meas; quæ cùm actiones meæ fuerint, ijs tamen non honoravi Te, uti fieri oportebat: & ob injurias tot ac tantas, quibus è contrario Te affeci. Miſericordia! Miſericordia! O DEVS meus, & omnia! Hanc oro à Te ex toto corde; cum proteſtatio-

ne inviolabili reparaturum me damna hæc honoris tui obſequijs & ſervitijs meis, quæ ſũma cum fidelitate poſthàc exhibeo.

O Iesu, dulciſſime amor meus, Facit amor Tui, ut doleã me offendiſſe Te, qui tam Bonus es, & tam mihi Bonus. Nihil Inferni timor, neque amittendi Cæli metus in deteſtatione ſcelerum meorum loci habet. Solus ante oculos meos Tui amor obverſatur; nec aliã doloribus oppreſsi cordis propter iniquitates, & delicta iuventutis meæ reperi cauſam, quàm quia amo.

XXVII.

XXVII.
Resignationis.

O Iesv, Quies cordium beatissima! ipsos Sanctos tuos Doctores habeo, excellentis in via Spiritûs & ad animorum tranquillitatē arcani, quod est, perfecta, nec aliquid sibi relinquens nostræ voluntatis cum tua conformatio. Quin & ego Pacis mihi meæ auctor fio, quātocumque ea, pretio emenda sit. Vt noveris autem quantùm & quomodo me resignem in omnem voluntatem tuam, en quid intelligam, quotiescumq; dicentem me audieris sive corde,

de, sive voce. *O IESV, conformo me.* Aut: *quod Tu vis, & Ego volo,* horúmve similia; significo proijcere memet in sinum divinæ Providentiæ tuæ, objectâ cura de me omni, idq́; non sine grandi gestientis animi sensu, amantissimè suscepturi quidquid à divina manu tua submittetur. Seu enim inopia illi obveniat, sive copia; sanitas, sive ægritudo; honor aut contemptio; consolatio, aut desolatio, felicitas aut calamitas, quidquid demũ obtingat, illud perpetuò dictũ meum erit: Fiat voluntas DEI: Mihi hæc placent omnia, dum meo placeant IESV.

Signi-

Significo non velle me aliud, nisi quod Tu vis, & ad eum, quē Tu vis modum: detestari me quoque omnia, quæ detestata Tibi sunt, sive in me, sive in alijs, sive in tempore hoc, sive in æternitate, usq; adeò, ut si quidquam nossem in me, aut proveniens à me, sive cogitatio illa foret, sive verbum, sive actio, sive motus quicumque, etiam levissimus, qui ad voluntatem & gustum tuum non esset, nihil cunctarer quamprimum reijcere à me, & nunc jam reijcio, improboq́ue.

Indico præterea submittere me cum tanta cordis amplitudi-

ne, tantaque liberalitate divinæ tuæ meam voluntatem, cum quanta eam ſuſciperent atque perficerent in Cœlo & in terra omnes Angeli, & Sancti tui. Et ut verbo abſolvam omnia, volo aliud nihil, niſi quod Voluntatis tuæ eſt; quam ubi repereto, dulcia mihi erunt omnia: ipſe adeo Infernus acceptabilis eſſet, ſi ex adorandæ tuæ voluntatis decreto ſubire illum neceſſe foret.

XXVIII.

Ardentium deſideriorum.

O IESV! Deſiderium cordis mei!

mei ! Quanta facere paratus ſum Tui cauſsâ ? Cur non deſiderijs meis potentia ex æquo reſpondet ? Et vel una hæc deſideriorum cauſa ſat magna ſit, quòd Tu minima quoque perinde remunereris, ac maxima ; proque perfectis deſiderata accipias, cùm impotentias noſtras intueris, quæ efficere ea nos vetant.

Admiror valde id, quod S. Lutgardi, fideli famulæ tuæ, memorant contigiſſe ; quæ cùm aliquando magnitudinem animi S. Agnetis in perferendis tormentis meditaretur, inceſſit illam deſiderium ita vehemens

imitandi, ut ob violentiam fervoris illius vena rupta fuerit: Ibi Tu illi quamprimum aspectabilis cùm fieres, diceris testificatus, hunc amoris actum, tamque sanctum desiderium ita tibi gratum accidisse, ut non minùs eo promerita sit, quàm si Martyrio & ipsa affecta esset; ut adeò Coronam in Cœlo receptura sit, paremCoronæ S. Agnetis Martyris. Postquam hoc ego, aliáve similia comperta habeo, ubi Tu factorum in loco desideria numerasti, & æqualiter muneratus es, rideo illos, qui desideria hæc mea rident; quos nihil moratus statuo deinceps desi-

deſiderijs hujuſce modi impendere horas plurimas, ad modum ſanctorum, & Amatorum Tui. Quin jam jam ſine cunctatione ulteriori incipio. Audi ergo, ſi placet, deſideria mea: cumque dixero ſive ore, ſive corde: DEVS *meus*, *Deſidero*, aut his ſimilia, ea ſic accipere digneris, uti ſequuntur.

Deſidero ex toto corde meo propagari ubique Imperium tuum; & vellem omnes potentiæ Animæ meæ, membra omnia corporis, cum omnibus operationibus ejus, totidem eſſent ora ac tubæ, quæ prædicarent ubique locorum, ſolum Te uni-

cè dignum esse, cui ab omnibus serviatur.

O cur non vox tam resonabilis mihi est, ut audiri possem per totam hanc rerum universitatem, & ab omnibus hominibus, etiam ijs, qui replerent mille adeo mundos, qualis iste est; quibus ego nuntiarem nomen & promerita tua? Si quoq; tam essem eloquens, quemadmodum vellem, in persuadendo, omnes continuo monitis meis Sanctos efficerem, & ad eum amoris tui gradum proveherem, ut in cordibus singulorum tui amoris tantum inesset, quantum unquam in corde sanctis-

ctiſſimæ Matris tuæ inerat.

Voveo, ut de me ſolo loquar, tot haberem corda, quod in aëre atomi volitant; quot ſabuli grana per maris littora jacent, & hiſce in cordibus tot virtutes, quot habuerunt, habent, atque habebunt unquam omnes Angeli, omneſque Sancti; ut amare Te valerem cordibus his univerſis; vel, ut dicam rectiùs, corde unico, quod omnibus tamen iſtis æquivaleret.

Ecce autem deſiderij vehementiâ plus ultra progredior in via & exercitio amoris, amare Te cupiens, quantùm amabilis es, & quantum Tute Te ipſum

amas. B. Stephana de Soncino cognovit quadam die, præter amorem, quo Te amant Sancti & Angeli, Tuaque Sanctissima Mater, amoris esse abyssum adhuc aliam in Teipso, quæ nulli sit creaturæ cognita aut comperta, sed soli Tibi, & Vni, O Devs amoris infiniti! En hic demum Amor immensus se offert dignissimum scilicet amorum infinitorum objectũ, quibus amare ego Te cuperem, & quod impossibile est, reddere possibile; quod finitum est, infinitum; hoc est, amorem meum Tuo simillimum, ut ita demum explerem amores meos.

XXIX.

XXIX.

Humiliationis.

O IESV! Optime, Maxime! Cui præſenti ſe inclinant, qui torquent Cœlos, advolutus ego pedibus tremendæ tuæ Majeſtatis, humiliare me volo, ſicut oportet, & locum, inter creaturas tuas capere, quem meretur miſerrima ex omnibus atque viliſſima.

Ecce quid ego ſim, ecce titulos honoris mei, & belliſſimas ſcilicet conditiones. Sive verbo igitur dicam, ſive animo: DEVS *meus, nihil ſum.* Vel, IESV! *Ecce creaturarum tuarum poſtremiſſimam,*

ſimam, ſimiléve quidpiam:

Volo hiſce dictis affirmare, me nihil eſſe, & è nihilo extractum fuiſſe. Quod ſi fateri neceſſe eſt eſſe me aliquid, ſum enimvero veriſſimè vermis terræ, mortuo deterior cane; labes & fæx hominum: ingratiſſimus & conſceleratiſſimus omnium; indignus, qui ſuſpiciam cœlos: digniſſimus autem, qui à morte mea vel olido fimeto, vel aggeſtis alicubi quiſquilijs, aut ſordium in urbe quapiam receptaculo infodiar. Significo quoque nihil ita admirari me, quàm quòd me terra ſuſtineat, nec abſorbendo

bendo mihi quam primum dehiſcat: quod ſaxa ſua, & fulmina Cœlum ceſſet in caput meũ jaculari, ad punienda ſcelera mea.

Volo certiores reddere omnes, quòd ſim ego infideliſſima ex omnibus creaturis tuis, malitioſiſſima, & tamen indigentiſſima, quæ pulvis cùm ſit & cinis, & ſcelerum terra quædam compago digna non eſt aperire os ſuum ad alloquendum Te, quæque ſi ex merito ſuo tractanda eſſet, jam Tu illam centies & millies in ima inferni præcipitem dare debuiſſes, ut ibi violatarum legum, & præcepto-

ceptorum ac voluntatum tuarũ improbè ſpretarum pœnas exſolveret.

Indico præterea, palàm profiteri me, miſericordiæ me tuæ præ hominibus omnibus obſtrictiſsimum eſſe, atque ita miſerum, ut, ſi abſque præveniente gratia, & peculiaribus tuis auxilijs fuiſſet nullum omnino genus criminum, quamvis enormium foret, quo non & corpus, & animum inquinaſſem, ipſo quin dæmone fuiſſem nequior, & numero extra comparationem majori peccata mea quàm modò ſunt, tanta inſuper cum obſtinatione ac malitia con-

conjuncta essent, ut clamoribus æternis vindictam contra me Cœlo devocarent.

XXX.

Imitationis.

O Omnibus ad imitandum proposite Servator! Cùm gloria nostra omnis in imitatione & sequela consistat Tui, constituo dedere me illi, quàm possum, & quàm quisquam potest, perfectissimè. Vnde si quando dicam, sive corde, sive ore: *O IESV! volo Te imitari.* Vel: *O Servator mi! cupio Tibi assimiari*, similéve aliud:

Significo expurgare me animum

mum velle ab imperfectionibus omnibus, easque in ardentissima sanctæ tuæ dilectionis fornace absumere, quò totus in Te imitando sim, meque Tibi quantùm fieri potest, assimilando.

Desidero per sanctissimæ vitæ tuæ proximam imitationem transformari totus in Te, curam adhibendo omnem consequendæ humilitati, modestiæ, mansvetudini, patientiæ, temperantiæ, castitati; paupertati, obedientiæ, prudentiæ, charitati, fortitudini, abnegationi mei ipsius, pietati, resignationi, omnibusque virtutibus cæteris, quarum Tu nobis exemplar pul-

pulcherrimum reliquisti. Significo postulare me supremum imitationis gradum, & assimilationis in Bonitate & perfectionibus tuis, ad quem creatura ulla potest pertingere, si benedictiones amoris tui accesserint.

XXXI.

Unionis.

O Iesv! Vita animæ meæ! Tuus esse unius volo, & hac quidem ratione, ut desiderem fieri quid unum Tecum, & arctissimam, quæ dari potest, unionem Tu mihi procurare. Ac propterea tale cum divina

Majeſtate tua ineo pactum, ſi dicere me contingat ſive corde, ſive ore: O IESV! *Vnias Te mecum*. Vel: *ô Dilecte mi Unionem tuam*! aliáve hiſce ſimilia.

Significo pro actionibus meis non agniturum me illas, quæ cum tuis unitæ non ſint: confirmare me quoque, & ratas habere omnes illas amabiles uniones, quæ animam meam cũ gratia tua; cor meum cum beneplacitis tuis, omnes denique affectiones meas cum ijs rebus, quas tu amas unquam colligaverunt.

Significo præterea, gratiùs mihi obtingere nihil poſſe, quã

ſi cen-

ſi centies quotidie, ſi decens eſſet, unirer Sanctiſsimo Corpori tuo in Sacramento Altaris abſcondito, & in momenta vitæ ſingula ſpiritualiter communicarem, ſi mortalitatis noſtræ ratio id permitteret; ut ita in perpetua forem & arctiſsima cum divina Majeſtate tua unione; dum beatificam illam exſpecto in lumine gloriæ, quæ in omnẽ nos æternitatem inſeparabiliter uniet.

Volo quoque teſtari Tibi, cupere me, ut unires amorem meum, frigidum illum, & imperfectum cum perfectiſsimo & ſublimiſsimo illo, quo Divini-

tas tua Sanctæ tuæ Humanitati, Humanitas quoq; VERBO unita est, & Patri, & Spiritui Sancto, ut ita non sim, nisi Vnum Tecum, & cum ijs omnibus quæ Tecum intimè sunt Vnum.

XXXII.

Continuæ recordationis.

O IESV! Vnica quies mea! Cupiam quidem momentis singulis cogitare de Te, & tanquam præsentem actionibus meis venerari, sed cùm facere hoc non detur, vide quem modum invenerim alium, & accipe pactum, quod inire cum divinâ Tua Majestate modò aggredior.

dior. Non possem ego vivere, nisi aspirarem, hauriremq; continuò aërem hunc, eundemque denuo exspirarẽ. Id ergo nunc ago, & scripto hoc jam nunc ita tecum paciscor. O Devs! qui solus es Objectum ejusmodi, quod dignum sit, ut perpetua de eo suscipiatur cogitatio; quãdiu ego quidem vixero, etiam dormiens, velim, si in potestate mea sit, cogitare de Te, mihiq; toties constituere præsentem, quoties vel hauriam, vel exspirabo hanc, qua vivo, auram, ita ut in aspirationes, respirationesque singulas, quæ sanctarũ pro voto meo cogitationum obtine-

tinebunt locum, desiderem, totis Te, si ita loqui fas est, præcordijs haurire, unà cum perfectionibus omnibus, quibus Divinitas tua dives est, cum omnibus meritis ac virtutibus tuis, cum ijs denique omnibus, quæ insunt Tibi : obsequia quoq; tam Tibi accepta & amabilia deferre, quàm omnes, & perfectissimæ quidem creaturæ exhiberent, quas Tu producere posses, & ex omnipotentiæ tuæ thesauro depromere.

XXXIII.

Testificationis generalis.

O IESV ! Amor meus ! Conor pro

pro viribus & diſtinctiſſimè quidem proponere Tibi deſideria omnia cordis mei, & ſuper ijs paciſci cum tua Majeſtate. Fortaſſis autem fecero rectiùs, ſi conjungam omnia, & actiones quaſdam ac ſigna ad generalem omnium poſtulatorum meorum teſtificationem eligam, utarque ijs tam crebrò, quàm poſſum; ut modum ſcilicet nullum prætermittam, quo ſecretas Tibi intentiones, & pia pacta mea exprimam, quæ argumento ſint, eſſe me, & eſſe velle tuum omni ratione, quæ excogitari queat.

Ecce Tibi igitur actiones & ſigna, quæ mihi ſeligo; quo-

rum unumquodque si adhibuero, renudabit Tibi arcana animi mei, testantis si possem, dicturũ me aut facturum, ex toto corde, ea omnia, quæ in cunctis, quæ præcesserunt, conventionibus comprehensa fuêre,

Colligã autem in signa quindecim. Ea hæc erunt. 1. Dicere corde, aut ore: *DEVS meus, & omnia!* Vel: *IESV, Servator mi!* 2. Suspirare. 3. Sustollere oculos in altum, vel ad Cœlum. 4. Supplicis ritu manus jungere. 5. Terræ figere oscula. 6. Brachia pandere. 7. Flectere genua. 8. Inclinare humiliter caput. 9. Brachia super pectus decus-

decuſſare. 10. Manũ cordi imponere. 11. Percutere pectus. 12. Efformare ſignum ſanctæ Crucis, præſertim eo ſignando cor, aut manus aut frontem. 13. Intueri piam imaginem. 14. Eandem oſculari. 15. Aut reverenter attrectare.

Quandocunque ergo dixero: DEUS *meus*, & *omnia*! aut cordi impoſuero manus aut in ſuſpirium erupero, vel peregero aliud quidpiam ex modò dictis;

Volo tum, ô IESV! Vita animæ meæ! Te adorare, admirari, æſtimare laudare, glorificare, benedicere, amare, gratias agere me offerre, poſtulare, obteſtari,

ſtari, cõmendare, donare, compati & imitari. Quin etiam gaudere me ſignifico de bonis tuis, credere me, ſperare, languere propter Te, fidelem velle eſſe, & conſtantem in ſervitio tuo, abundare in deſiderijs, dolere de vita præterita, unire me tecum, reſignatum eſſe in voluntatem tuam, humiliare me, & abdicare ijs omnibus, quæ ſunt intra vel extra me, amanter tecum queri, renovare me, vivere, nolle, aut reſpirare, niſi in Te, cogitando ſemper de Te, atque hæc omnia ad eum modum, quem fuſiùs ſupra declaravi. Hæc eſt mens mea in tempo-

tempore hoc, eritque per omnẽ æternitatem.

Digneris, ô Iesv! lumen oculorum meorum! acceptare pro infinita misericordia tua ultimum hoc pactum meum, uti & cetera omnia.

Et nunc prostratus ad pedes Majestatis tuæ, fretusque ineffabili tua Bonitate, cum profundissima animi submissione flagito à Te hanc tam desideratam mihi gratiam, & ex toto corde meo supplico, ut pacta hæc mea benignè suscipias, eademque Æterno Patri tuo, Spiritui sancto, Tuæ quoque dilectissimæ Matri esse facias accepta:

pta: mihi denique tantùm gratiæ largiaris, ut ea & ſæpe, & ſanctè uſurpando proficiam, eâque ratione efficiar talis, qualem Tu me eſſe deſideras, dignum ſcilicet magnitudinis gloriæ tuæ Inſtrumentum Amen.

PA-

PACTVM. HAGIOPHILÆ. CVM MATRE DEI.

VIrgo Sancta, meaq; ter amabilis Mater, ſentio quidem ex debito facturum me, ſi ſine ceſſatione cor & cogitationes meas ad te, attollerem; ſed cùm ſpiritûs mei infirmitas, & ipſa miſerabilis hujus vitæ conditio, quæ nos mille & occupationibus, & diſtractionibus implicat, id non permittant, en paratum me ſupplere defectus iſtos, per pacta & conventa

mea, quæ testificari tibi potuerunt flammantem illum amorem erga Te Augustam Principem meam, qui depascitur animum meum.

Quotiescumque ergo continget, ut mentem ad te elevem, & vel ore, vel corde dicam: *Virgo Sancta, Amo Te*, tantundem, oro valeat, ac si dicerem, Amo te ex toto corde meo, ex tota anima mea, ex omnibus viribus meis: amo ampliùs, quàm conjunctissimos, amicos & propinquos meos; quàm honores, divitias, vitam, sanitatem, mundum totum, & omnia, quæ infra Lunã sunt: magis etiam, quàm omne,

mne, quod creatum est, sive in cœlo, sive terra; atque ita plus, quàm Tutelarem Genium meũ, plus quàm Angelos universos, plus quàm alios omnes Sanctos Cœlites, & post IESVM plus quàm alia omnia.

Quotiescumque ô incomparabilis Virgo, sive corde dixero, sive ore, *Virgo Sancta, Laudo Te.* Vel: *Benedico Tibi.* Aut: *Te ego Glorifico*; Cupio verbis his omnes, si fieri posset, laudationes, omnes honores, omnes benedictiones, glorias omnes in te conferre, quas Angeli, quasque omnes Orbis Nationes; quin imò, quas ipsæ tres Perso-

næ Sanctiſſimæ Trinitatis in te unquam vel contulêre, vel conferunt, aut etiam collaturæ ſunt, tum in tempore, tum per omnem, quàm latè tenditur, æternitatem.

Quotieſcumque dixero: *Virgo Sancta; Tibi ego offero*; tantundem omnino ſit, ac ſi hunc in modum loquerer, Cor tibi meũ offero, & corpus, & animam; vitam insuper, & ſanitatem quæcumque demum in amoribus mihi ſunt. Sum enim, & eſſe omnino volo ex toto tuus.

Quotieſcumque dicam: *Regina Amorũ Mater, Gratias Tibi ago*, aut ſimile quidpiam; ſignifico cupe-

cupere me habere, gratas Angelorum mentes; omnium amicorum DEI benignas affectiones; fœcundissimorum ingeniorum calamos, atque linguas; quin ipsius Dilectissimi Filij tui cor atq; sermonem, ut ita in omne ævum dignas Augustissimâ, simulque amabilissimâ Majestate tuâ gratias referre possem, cùm infinitas agnoscam obligationes meas erga te præ creaturis reliquis universis.

Quotiescumque dicam: *O Amabilis* MARIA, *Mater misericordiæ! Spem & fiduciam in te meã stam habeo*, similéve aliud; si-

gnifico post Dilectissimum Filium tuum omnem spem meam ferri in Te, nec alterius opem imploraturum me, ante tuam, quæ Refugium meum, es, & Præsidium meum, & omnia mea.

Quotiescumq; dixero: *Virgo Sancta: Gaudeo*; significo tantis me ob excellentias & perfectiones tuas gaudijs affici, ut si omnium tibi addictorum Servorum collecta habere possē gaudia, quæ aut senserunt in animo, aut palam etiam prodiderunt, sive cúm meditati ipsi sunt, sive cùm sermonibus aliorum omnis generis bona, qui-

bus

bus affluebas tu, acceperunt; facerem id ſanè ex toto corde, Et nunc, quantum poſſum, & licet, ita gaudeo & exulto.

Quotieſcumque dixero; *Mater Chariſſima triſtor*; O MARIA! *Doleo*, Dolere me intimè gnifico de amariſſimis doloribus tuis; ſique in mea foret poteſtate, ſentire ut poſſem amaritudines cordis univerſas, quas ex conſideratione illius *Doloris gladij*, aliarumque afflictionum, tempore præſertim Paſſionis & mortis Filij tui toleratarum à te, ſervi tui perceperunt; paratum eſſe me ſufferre eas univerſas; optareque mihi ad hoc

ipſum Dilectiſſimi Filij tui cor, qui verè illas in ſe pertulit, aut tuum ipſius, ut eodem modo ſentire eas in me valerem.

Hagiophila, habes hic proximè exemplum, ad cujus modū tua cum B. V. pacta inſtituas; tale, quo arcana animi Ipſi explices. Amplifica tu jam, dictiſque adjunge, quidquid ad guſtum & pietatem tuam faciet, quando B. V. alloqueris, paciſcendo cum Illa, Eiq; cordis tui intima patefaciendo. Penes te nunc erit, formare tibi alia, & explicare te ſuper illis; qualia forent. *Virgo Sancta, Adoro Te, Peto á Te*; & ſimilia alia.

His

His ita peractis reliquum est, ut dies tibi certos deligas, quibus exerceas te in his, potissimum autem Festivitates Summas, aut Sabbatha. Vel, ut ille, quem noscito, facere consuevit; Partire paucula hæc verba in singulos hebdomadæ dies, & conare repetere illa per diē vicies aut tricies. Dominicâ quidem die dicendo frequenter. Amo te, Virgo Sancta; die Lunæ: Virgo Sancta, Laudo Te, & ita de alijs. Profuerit quoque renovare hæc Pacta aliquoties, præcipuè autem diebus Beatissimæ Virginis festivis, tempore, quod communionem sacram consequitur.

PRECES
IN HONOREM NOVEM MENSIVM
QVIBVS BEATISSIMA VIRGO CHRISTVM VTERO GESSIT.

Beatus venter qui te portavit.

Novies recitetur Angelica Salutatio; meditando (dum qualibet Salutatio repetitur) unum aliquod privilegium Virgini à Christo datum, in gratiam hospitij, Christo in ute-

in utero Virginis concessi; acceptâ hinc occásione, laudandi inprimis gratulandique divinæ bonitati, quæ Virginem honore tanto est dignata; & Virginem ipsam extollendi venerandique, flagitando, ab eâ gratiam, certo Privilegio respondentem.

Primum Privilegium est, Reverà fuisse DEI *Matrem, quæ suo eum utero conceperit, ope Spiritûs sancti. Quam ob rem gratias* DEO *referam, simul venerando talem tantamque Matrem. Tu insuper illam ora, ut* DEI *mater spiritualis efficiare, voluntati* DEI *sanctissimæ obtemperando ex sententiâ illius Evangelici pronunciati* : Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis

cælis eſt. ipſe meus frater & ſoror & mater eſt.

Alterum Privilegium eſt, Simul Matrem extitiſſe & Virginem, iunctis per miraculum fœcunditate & virginitate. Ora Chriſtum per materna merita, ut tibi bonorum omnium impertiatur ubertatem, puritati corporis animique coniunctam.

Tertium eſt, Gravidam menſibus novem CHRISTVM *non ſolùm abſque moleſtiâ tuliſſe ponderis, verùm etiam cum levaminis ſenſu. Obſecra, uti numquam grave tibi videatur, iugum Domini portare; ſed contrà levis ac ſuavis appareat obſervatio legum ipſius.*

Quartum, Cùm aliæ omnes prolem

lem cum dolore ſint enixæ, hanc ſummo cum gaudio perperiſſe. Ora beatam Virginem, ut gratiam tibi impetret pariendi ſpiritualiter DEVM, hilari bonorum deſideriorum propoſitique executione quam præſtare decreviſti; atque hinc animi tibi creſcant ad vincendas difficultates omnes moleſtiasq́;, quæ bonis operibus eſſe ſolent impedimento.

Quintum, Poſtquam anguſtis uteri clauſtris Illum Virgo eſſet complexa, quem neque cæli neque terra comprehendunt; tantam ei inter res creatas capacitatem eſſe datam, ut in eâ DEVS collocaret plenitudinem gratiæ, quæ Sanctorum omnium gratiam immensè ſuperaret. DEVM obteſtabe-

ris per amorem illum; quo novem ſe menſibus virgineo utero incluſit, ejus te gratiæ cæleſtiumque donorum capacem efficiat, quibus te jam inde ab omni æternitate ornare decrevit ſi tu modò permittas.

Sextum, Poſtquam Verbum æternum humanitatis noſtræ veſtem de caſtiſſimis Virginis beatiſſimæ viſceribus ſibi texuiſſet, inſtar Pontificis ſummi eam dicavit, conſecravitque in templum vivum, verumq; tabernaculum DEI; ex illâ Davidici carminis ſententiâ: Sanctificavit tabernabernaculum ſuum Altiſſimus. Obſecra DEVM, interpoſitâ precatione Virginis, ut quoniam per Baptiſmi fontem in Spiritûs ſancti templum es con-

es consecratus, illud omni labe purum serves.

Septimum, Cùm Christus sit verus vitæ panis, virgineus MARIÆ uterus factus est publicum orbis horreum, è quo eductum est frumentum electorum, ut conderetur panis Eucharistiæ, quo Fideles omnes pascuntur, nutriunturque qui venter illo celebratur Sponsi cantico: venter tuus sicut acervus tritici. Obsecra beatissimam Virginem, ut quemadmodum liberalis fuit in subministrando Angelico illo pane, sic quoque tibi gratiam impetret, eum pari (quâ tanto par est Mysterio) religione observantiâque gustandi.

Octavum, Cùm Christus sit secun-

dus noster Adamus, cælestis nempe ille ac divinus, dum in MARIÆ latuit abditus visceribus; eam secundam Evam reddidit; ex quâ per Christum regenerati sumus in filios DEI adoptivos, cùm ex prima Evâ nati essemus filij iræ. Recurre igitur boni instar Filij, ad pijssimam hanc Matrem; eam obtestare, ut in suam te fidem recipiat, & à primæ Evæ te calamitatibus, asserat.

Nonum, Postquam in Virgine Deus habitavit, facta est instar paradisi deliciarum ac voluptatum, imò cæli instar empyrij, cui semper frequens assistit Cælitum regia: cùm nequeant cælestes illæ Mentes pulcherrimo hoc spectaculo satiari; quale fuit, videre immen

immensum DEVM, unius Virgunculæ sinu inclusum. DEVM orabis, ut animam tuam vertat in paradisum divinæ suæ Majestatis, expurgetq́ spinis, urticis, tribulis, omnibus vitiorum, quæ sterilem in silvam atq; infœcundam eam converterunt.

LITANIÆ
De S. Nomine IESV.

KYrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison,
Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cœlis DEVS,
Fili redemptor mundi DEVS,
Spiritus Sancte DEVS,
Sancta Trinitas unus DEVS,
IESV Fili DEI vivi,
IESV potentissime,
IESV fortissime,
IESV perfectissime,
IESV gloriosissime,
IESV mirifice,

Miserere nobis.

IESV

IESV jucundissime,
IESV charissime,
IESV clarior Sole,
IESV pulchrior Lunâ,
IESV splendidior stellis,
IESV admirabilis,
IESV delectabilis,
IESV honorabilis,
IESV humillime,
IESV pauperrime,
IESV mitissime,
IESV patientissime,
IESV obedientissime,
IESV castissime,
IESV Amator castitatis,
IESV amator pacis,
IESV amor noster,
IESV Speculum vitæ,

Miserere nobis.

Iesv exemplar virtutum,
Iesv decus morum,
Iesv zelator animarum,
Iesv refugium noſtrum,
Iesv pater pauperum,
Iesv conſolatio afflictorũ,
Iesv theſaure fidelium,
Iesv gemma pretioſa,
Iesv armarium perfectionis,
Iesv bone paſtor ovium,
Iesv ſtella maris,
Iesv lux vera,
Iesv ſapientia æterna,
Iesv bonitas infinita,
Iesv gaudium Angelorum,
Iesv Rex Patriarcharum,
Iesv Inſpirator Prophetarũ

Miſerere nobis,

IESV Magiſter Apoſtolorũ,
IESV Doctor Evangeliſtarũ,
IESV Fortitudo Martyrũ,
IESV lumen Confeſsorum,
IESV Sponſe Virginum,
IESV corona Sanctorum omnium, } Miſerere nobis.

Propitius, eſto, parce nobis IESV.

Propitius eſto, exaudi nos IESV.

Ab omni malo,
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
Ab inſidijs diaboli,
A peſte, fame, & bello,
A transgreſsione mandatorum tuorum, } Libera nos IESV

Ab incurſu omnium malorum,
Per incarnationem tuam,
Per Adventum tuum,
Per Nativitatem tuam,
Per Circumciſionem tuam,
Per dolores tuos,
Per flagella tua,
Per mortem tuam,
Per reſurrectionem tuam,
Per Aſcenſionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,
Per dulciſsimam Virginem Matrem tuam,
Per interceſsionem omniũ Sanctorum,

} Libera nos Iesv.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis Iesv.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, exaudi nos IESV.

Agnus DEI, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis IESV.

IESV Chriſte audi nos.

IESV Chriſte exaudi nos.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon, Kyrieeleiſon, Pater noſter.

V. Et ne nos inducas in tentationem.

R. Sed libera nos à malo.

V. Domine exaudi orationem meam.

R. Et clamor meus ad te veniat.

Oratio.

DEVS, qui glorioſiſsimum Nomen IESV Chriſti Filij tui

tui Domini noſtri feciſti fidelibus tuis ſummo ſvavitatis affectu amabile & malignis Spiritibus tremendum atq; terribile, concede propitius, ut omnes, qui hoc Nomen IESV devotè venerantur in terris, ſanctæ conſolationis dulcedinem in præſenti percipiant, & in futuro gaudium exultationis & interminabilis beatitudinis obtineant in cœlis, Per eundem Dominum noſtrum, &c.

Divinum auxilium maneat ſemper nobiſcum, Amen.

Petitiones devotæ ad Dominum IESVM Christum.

ex S. Augustino, quæ etiam coram S. Eucharistia dici poßunt.

DOmine IESV, nouerim me, noverim te.
Nec aliquid cupiam nisi te;
Vt odiam me, & amem te,
Quidquid agam, propter te:
Humiliem me, exaltem te:
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me, & vivam in te,
Quæcunque veniant, accipiam à te.
Persequar me, sequar te;
Semper optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te.
Dignus sim defendi à te.

Timeam mihi, timeam te.
Simque de electis à te.
Diffidam mihi, fidam in te.
Obedire velim propter te.
In nullo afficiar, nisi in te,
Aspice me, ut diligam te,
Voca me, ut videam te,
Et in æternum potiar te, Am.

Salutatio SS. Vulnerum Christi.

Ad dextram Manum.

Ave Manus dextra Christi
Perforata plagâ tristi,
Nos ad dextram jube sisti,
Quos per Crucem redemisti.
Pater noster Ave M.

Ad sinistram Manum.

Ave Manus Christi læva,
Sic confixa manu sæva,
Nos ab omni malo leva,
Quod producit mater Eva.

Pater noster Ave M.

Ad dexterum Pedem.

Ave vulnus dextri pedis,
Pedem mentis piè lædis,
Dum ad eam sæpe redis,
Esto nobis spes mercedis.

Pater noster. Ave M.

Ad sinistrum Pedem.

Ave vulnus lævæ plantæ,
Quâ virtutum crescunt plantæ
Nos ab hoste supplantante
Contuere post & antè.

Pater noster. Ave M.

Ad vulnus lateris.

Ave latus perforatum,
Vnde fluxit flumen gratum,
Præbe nobis conducatum,
Ad æternæ vitæ ſtatum.

Pater noſter. Ave M.

V. Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras.

R. Attritus eſt propter ſcelera noſtra.

Oremus.

DOmine IESV Chriſte, qui pro ſalute humani generis quinque vulnera pati voluiſti: tribue quæſumus, ut ob reverentiam illorum vulnerum abſolvi merear ab omnibus peccatis meis, & præſentem vitam

bono fine terminare, & à tuæ dulcissimæ visionis contemplatione nunquam separari. Qui vivis & regnas DEVS per omnia sæcula sæculorum, Amen.

Affectus erga SS. Eucharistiam Fidei.

Adoro te manentem
Sub azymo Divinitas;
Adoro te latentem
Amoris ô Infinitas!
Sub signo adoro prolem,
Verbum Deique filium;
Sub umbra adoro solem,
Sub flore panis lilium.
Adoro claritatem
Sub involucro nubium:

Sub veste veritatem,
Sub annulo connubium.
Sub farre conjugatam
Cum Carne Verbi Hypostasim,
Vinoque inebriatam
Adoro amoris ecstasim:
Sub mica adoro missum
Quē coxit Alma Trinitas;
Sub gutta adoro abyssum
Quâ mergitur Divinitas.
spei
Amoris ô abyssus!
O Sanctitatis lilium!
Summique digna byssus
Vestire Regis filium!
O gratiosa dona!
O Esca delectabilis!
O Orbis!

O Orbis! ô corona!
O Panis admirabilis!
Tui libenter esu
Frui meum cor videro,
Iesv veni, ô Iesv
Te quæro. te desidero.
Te quæro (si faveres
Amantium dulcissime)
Et langueo, quid hæres
O svavium svavissime?
Te spero, quando spiro,
Suspiro te, te centies,
Et millies requiro,
O quando mi consenties?

Charitatis.

Venisti & attulisti
Sub pane Iesv Cor tuum;

IESV tuum tulisti,
Sed abstulisti cor meum.
Amoris obstupesco
Absorptus in silentio
Et ardeo & liquesco
IESV mori me sentio.
Per hos enim sapores
Tuo, meum cor jungitur;
Inter tuos amores
Vivendo, vitâ fungitur.
Si tam suäve nectar
Sub pane IESV depluas,
Huic rursus ore nectar,
Per os, ut in cor defluas.
In ore te repones,
Votis ero concordibus;
Si mille corda dones,
Amabo mille cordibus.

Oremus.

Oremus.

ABſorbeat, quæſo, Domine IESV Chriſte, mentem meã ignita & melliflua vis amoris tui ab omnibus, quæ ſub cœlo ſunt, ut amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno Crucis mori. Amen.

Anima Chriſti ſanctifica me:
Corpus Chriſti ſalva me:
Sanguis Chriſti inebria me:
Aqua lateris Chriſti lava me:
Paßio Chriſti conforta me
O Bone IESV, exaudi me:
Intra vulnera tua abſconde me:
Et ne permittas me ſeparari à te:
Ab hoſte maligno defende me

In hora mortis meæ voca me:
Et jube me venire ad te,
Vt cum ſanctis & electis laudē te:
In ſecula ſeculorum, Amen.

Orationes perutiles.

OMnipotens ſempiterne DEVS, in cujus manu ſunt omnium poteſtates & omnium iura regnorum: reſpice in auxilium Chriſtianorum; ut gentes Paganorum, quæ in ſua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentiâ conterantur.

DEVS, qui conteris bella & impugnatores in te ſperantium potentiâ tuæ defenſionis expugnas: auxiliare famulis

tuis.

tuis implorantibus misericordiam tuam: ut inimicorũ ſuorum feritate depreſſa, inceſſabili te gratiarum actione laudemus.

DEvs, à quo ſancta deſideria, recta conſilia & juſta ſunt opera: da ſervis tuis illam, quam mundus dare non poteſt, pacem: ut & corda noſtra mandatis tuis dedita, & hoſtium ſublata formidine, tempora ſint tua protectione tranquila. Per Dominum.

FINIS.